tempus. Pro cujus textus expoſitione Caranza *d. c. 3. de partu, §. 1. ex n. 46.* D. Franc. de Amaya *lib. 3. obſerv. c. 1. §. 4. n. 38.* docent, textum illum procedere in titulo *pro ſuo*, qui tantum conſiſtit in opinione ejus, qui rem aliquam tamquam propriam retinet, quam exiſtimat ad ſe pertinere ex aliqua juſta cauſa, cum revera ad eum non ſpectet: itaque tantum nititur juſta æſtimatione poſſidentis. Cum ergo hic titulus nititur in æſtimatione juſta poſſidentis, ejuſque bona fide, ubicumque deficit hæc bona fides, deficit per conſequens titulus pro ſuo, & incipit rem detinere ſine cauſa, & ſine titulo. Qua interpretatione omiſſa, Mela *d. c. 2. n. 9.* docet ideo in ea ſpecie ſupervenientem malam fidem nocere uſucapioni, quia bonæ fidei poſſeſſor rei furtivæ, poſtquam talem cognovit rem, & petita fuit a domino, eam nihilominus celavit, quo facto rei ipſius furtum, quod apud antiquos conceptum dicebatur poſtquam res fuerat quæſita per lancem, & licium, *§. conceptum, Inſtit. de oblig. quæ ex delict.* dicitur committere, & inde mutari cauſam poſſeſſionis in furtivam, cum concurrat animus celandi, atque furandi, & factum extrinſecum, quod in rei celatione conſiſtit.

14 Traditur ratio decidendi. Jure etiam civili tam corporales res, quam incorporales ſpatio 30. vel 40. annorum abſque bona fide præſcribebantur, *l. 3. §. actus, ff. de aqua quotid. l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv.* Covar. *in d. regul. poſſeſſor, 2. p. §. 10. n. 3.* Menchaca *lib. 2. illuſtr. c. 76.* Unde cognoſcitur, quod innovatum ſit jure Pontificio circa bonam fidem. Et quoad præſcriptionem 30. vel 40. annorum jam derogatum illi fuerat *in c. vigilanti, hoc tit.* ubi probavi. Quoad uſucapionem, præſcriptionemve cœptam cum bona fide, quæ ſuperveniente mala fide jure civili procedebat, noviter in præſenti Concilii Lateran. canone ſtatuitur, ut nullo modo admittatur præſcriptio ſuperveniente mala fide: cujus ſanctionis ratio provenit ex fine juris noſtri Pontificii, qui eſt vitare peccata, & ſaluti animarum conſulere, *c. ut animarum, de conſtit. l. 6. c. ſolitæ, de majorit. & obed.* Unde quamvis non omnis retentio rei alienæ furtum ſit, ſi deſit occulta retentio, vel ſubtractio; nihilominus tamen ſemper eſt injuſtitia alienum retinere invito domino, & contra præcepta alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere: ſed ea quæ contra jus naturale ſunt, nulla juris civilis conſtitutione permitti, aut honeſtari poſſunt, *l. probrum 42. Dig. de V. S.* ergo ſtante in juſtitia poſſidentis lex civilis non potuit ſuperveniente mala fide uſucapionem permittere, cum quotiens bona fides abeſt, peccetur in Deum contra ſanctiones Eccleſiaſticas, *c. penult. de conſanguin. & affin. c. ſi quis ordinaverit 45. de ſimon.* Accedit, nam nullus peccator ob proprium delictum, & ejus continuationem ex juris auctoritate acquirit præmium, vel commodum aliquod ſentit, *c. intelleximus 7. de judic. c. ex tenore, de reſcript.* alias lex eſſet nutritiva peccati. Unde Eccleſiæ Patres, quibus commiſſa eſt ſpiritualis poteſtas, & per conſequens omnia, quæ ad finem ſupernaturalem ſpectant, etiam inter ſæculares, ut probavi *in c. novit, de judic.* potuerunt præſcriptionem prohibere cum mala fide contra jus civile, ut etiam illi derogarunt ob ſimilem rationem *in c. ex parte, de conſuet. c. 2. de probat. c. cum haberet, ne de eo qui duxit in matrim. c. fin. de ſecund. nupt. c. unic. de torneam.* Nec obſtat, Romanos, & Imperatores Chriſtianos illo jure uſos fuiſſe; nam reſpondetur in hac re deceptos fuiſſe eos in cognitione veri juris naturalis; quippe tantum bonam fidem ad uſucapionem petierunt pro juſtificatione tituli, ideſt in principio; qua ſemel interveniente, licet poſtea amitteretur, non nocebat uſucapioni; nam titulus ſemel juſte acquiſitus, non deſinit eſſe, nec mutatur, licet mala fides ſuperveniat, *l. ſi de eo 40. §. ſi ſervum, de acquir. rer. domin.* Itaque præſens Concilii conſtitutio in praxi obſervanda eſt in terris etiam temporaliter non ſubjectis Rom. Pontifici ut reſolvunt ultra congeſtos a Barboſa *hic, n. 5.* Petrus Barboſa *in rubric. C. de præſcript. 30. ex n. 39.* Treutl. *volum. 2. ſelect. diſp. 22. theſi 6. lit. A,* Mela *d. c. 2. n. 10.* Sed ſi mala fides poſt completam præſcriptionem ſuperveniat, res ita acquiſita reſtitui non debet, ſive jus Civile, aut Canonicum attendamus, ut probant Bronchorſt. *centur. 4. enanthiop. aſſert. 7.* D. Th. *quodl. 12. art. 24.* pluribus relatis Solorzanus *tom. 1. de jure Indiar. l. 3. cap. 2.*

15 Reſpondetur difficultati. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam reſpondetur, quod juſte lex humana poteſt peccata aliqua permittere relinquendo ea impunita, ut in exemplis ibi expenſis, quia punitio delictorum, nec ſemper, nec indiſtincte eſt in præcepto, ſed attentis circumſtantiis ex cauſa, pro loco, & tempore, ut docet D. Thom. *d. art. 11.* Sic etiam poteſt lex humana peccatis voluntariis ſubditorum uti in bonum commune, numquam tamen poterit ob aliquam cauſam boni publici præſtare auctoritatem peccatis, & illa fovere, præmiis propoſitis ad delinquendum invitando; quia ſemper, & omni caſu hoc eſt illicitum, & contra juſtitiam legis naturalis, & divinæ, juxta quam non licet facere malum, ut inde ſequatur bonum. Sane lex civilis admittens præſcriptionem cum mala fide, non tantum permittit, & tolerat peccata, & illis utitur, ſed magis auctoritatem præſtat, fovet, & ad peccandum invitat ſubditos aliena bona retinentes, propoſitis premiis, ideſt conceſſa ipſarum rerum præſcriptione; quare jus Pontificium talem juris civilis diſpoſitionem improbavit, & damnavit.

Adhuc tamen præſenti aſſertioni obſtare videtur textus *in c. cum dilectus 28. de V. S.* ubi miſſus in poſſeſſionem cauſa rei 16 Exponitur c. cum dilectus, de V. S. ſervandæ ex primo decreto, cum bonam fidem habere non poſſit, quia poſſeſſor non conſtituitur, *l. ſi duo 3. §. creditores, Dig. ut poſſid.* uſquedum ſecundo decreto poſſidere jubeatur, *l. ſi finita 15. §. ſi de vectigalibus, Dig. de damno infecto,* rem ipſam præſcribit: ergo jure etiam canonico abſque bona fide procedit uſucapio. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, quod cum ex juris canonici diſpoſitione miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto, tranſacto anno verus efficiatur poſſeſſor, ideo in eo textu tranſacto prædicto anno poteſt poſſeſſor rem ipſam præſcriptione acquirere; nec intereſt, quod ſciat rem alienam eſſe, quia talis ſcientia non eſt injuſtæ poſſeſſionis, ut probavi *in c. 1. hoc tit.*

Secundo adverſatur textus *in c. cura 11. de jurepatr.* ubi cum 17 Intelligitur c. cura de jurepat. quidam laicus Eccleſiam vacantem clerico conceſſiſſet, ignorante, aut non conſentiente Epiſcopo, ipſe Clericus de manu laici prædictam Eccleſiam accipiens per aliquod tempus poſſedit: quæſitum fuit ab Alexandro III. utrum prædictus Clericus ab ea Eccleſia eſſet amovendus? Et reſpondit Pontifex, clericum privandum eſſe hujuſmodi beneficio, niſi legitima fuerit præſcriptione munitus. Igitur quia in ea ſpecie procedere poterat præſcriptio, & tamen bonam fidem non habebat, imo malam; ſiquidem Clericus ſcire debebat laico nullum jus competere in rebus Eccleſiaſticis, *ex c. ſi quis deinceps 12. cum ſeq. 16. q. 6. can. 31. Apoſt.* Concil. Hiſpal. *2. can. 9.* & per conſequens in eum non potuiſſe aliquod jus transferre, *l. nemo Dig. de R. J.* neque juris ignorantia illi patrocinari poterat, *ex l. numquam, Dig. de uſuc. §. error, Inſtit. hoc tit.* Igitur cum mala fide procedebat uſucapio. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, ideo clericum in ea ſpecie præſcribere beneficium de manu laici receptum, quia bonam fidem habuit credendo ex aliqua juſta cauſa potuiſſe laicum ſibi beneficium illud donare, veluti ſi exiſtimavit præſentationem in eo ratione juriſpatronatus ad illum ſpectare, *ex c. piæ mentis 16. q. 7. c. 3.* cum aliis, *de jurepatr.* Qui error cum non ſit juris, ſed facti, præſcriptionem non impedit, argumento textus *in l. 2. §. ſi a pupillo, ff. pro emptore:* docuerunt Covarr. *in d. regul. Poſſeſſor, 2. par. §. 10. n. 7.* Lambert. *de jurepatr. 1. par. q. 7. art. 4.* Fachin. *lib. 8. controv. c. 24.* Nec obſtabit ſi inſtes, beneficium Eccleſiaſticum non poſſe ſine inſtitutione canonica obtineri, *c. 1. de R. J. in 6. c. ex frequentibus, de Inſtit.* Igitur *in dict. cap. cura,* nec prætexta præſcriptionis beneficium de manu laici acceptum retineri poterat. Nam reſpondetur, ideo præſcriptione potuiſſe clericum acquirere Eccleſiam a laico receptam, quia præſcriptio habet vim tituli, atque inſtitutionis canonicæ; quando incapacitas ex parte recipientis non reperitur, *c. 1. hoc tit. in 6. c. ſuper quibuſdam, de V. S.* Quo modo etiam intelligitur textus *in Clement. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ.*

Etiam opponit præſenti aſſertioni Mela *de uſucap. c. 9. n.* 18 Exponitur c. placuit 15. §. poteſt 16. q. 3. *10.* textum *in cap. placuit 15. §. poteſt 16. q. 3.* in illis verbis: "Bona fides non ad tractum medii temporis, ſed ad initium poſſeſſionis refertur, ſufficit enim in initio cuique bona fide poſſidere cœpiſſe, etiamſi medio tempore ſcientiam rei alienæ habuerit." Ex quibus aperte conſtat, malam fidem ſupervenientem nec jure canonico vitiare præſcriptionem. Cui difficultati ipſe ſatisfacit aſſerendo, Joannem VIII. Summum Pontificem ſecundum leges Civiles in eo capite loquutum fuiſſe, non vero juxta ſacros canones: ſed cum textus ille non ſit Joannis VIII. ut docet Mela, ſuſtineri non poteſt ea ſolutio: ea ergo miſſa dicendum eſt, verba illa non eſſe Concilii Africani, cui textus ille tribuitur; ſed Gratiani, qui juxta leges civiles locutus fuit; & ideo juxta eas exaudiendus eſt. Etiam opponi ſolet *in cap. 1. hoc titul.* cujus veram interpretationem in ejus commentario aſſignavimus.

TITULUS XXVII.

De ſententia, & re judicata.

CAPUT PRIMUM.

Gregor. a *Joanni Epiſcopo primæ* b *Juſtinianeæ.*

POſt longas tribulationes, quas Hadrianus c Thebanæ civitatis Epiſcopus a conſacerdotibus ſuis, velut ab hoſtibus pertulit, in Romanam civitatem confugit. Et licet adverſus Joannem d Lariſſæum Epiſcopum ejus fuiſſet prima ſuggeſtio, non ab eo in cauſis pecuniariis reſervatis legibus judicatum: tamen poſt hæc magis contra perſonam fraternitatis tuæ, a qua non juſte ſe a ſacerdotii gradu flagitabat eſſe dejectum, graviſſime querebatur. Sed nos

nos indiſcuſſis petitionibus non credentes, eadem quæ apud Joannem fratrem, & Coepiſcopum noſtrum, vel quæ apud fraternitatem tuam ſunt acta, relegimus. Et quidem de memorati Joannis Epiſcopi Lariſſæ judicio, quod fuerat appellatione ſuſpenſum, ſatis & piiſſimi rerum Domini ad Corinthi Epiſcopum miſſis juſſionibus decreverunt, & nos quoque per præſentiam latores epiſtolis noſtris ad præfatum Joannem Lariſſæum directis, Chriſto auxiliante decrevimus, cum diverſi diſcrepatione judicii, cujus examinationem tibi imperialia juſſa tradiderant, & inſpecta geſtorum apud Joannem Epiſcopum e de criminalibus habitorum ſcite ventilatis, reperimus prope nihil te, quod ad nominatas, indictaſque ſibi cauſas attinuit, exquiſiiſſe: ſed machinationibus quibuſdam teſtes adverſus Demetrium Diaconum in damnatione ejuſdem Epiſcopi produxiſſe, qui eum de illo, quod nec audiri fas eſt, teſtimonium dicentem ſe audiſſe perhiberent. Quod dum præſens Demetrius contradiceret, ſe dixiſſe adverſus ſacerdotalem morem, diſciplinamque canonicam, dejectum honore ſuo Diaconum Proconſuli provinciæ tradidiſſe. Qui cum multis laniatus verberibus, adverſus Epiſcopum ſuum forſan aliqua potuiſſet tormentorum neceſſitate mentiri, uſque ad finem negotii nihil eum, de quibus interrogabatur, penitus invenimus fuiſſe confeſſum, ſed nec alia in geſtis ipſis, ſive per depoſitionem teſtium, ſive per Hadriani profeſſionem, quod ei potuiſſet obeſſe, reperimus. Sed tantum fraternitas tua, neſcio quo mentis motu, divino, humanoque jure contempto, abruptam protulit in ejus damnatione ſententiam: quæ licet non eſſet appellatione ſuſpenſa, contra leges tamen, f canoneſque prolata ipſo non poterat jure ſubſiſtere. Poſtquam autem ex abundanti appellationem tibi conſtat eſſe porrectam, mirati ſumus cur nec homines tuos, ſecundum cautionem Honorato Diacono noſtro per reſponſales tuæ Eccleſiæ expoſitam, qui tui judicii rationem potuiſſent reddere, tranſmiſiſti. Quod factum te vel de contumacia, vel de conſcientiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc, quæ nobis aperta ſunt, veritate vallantur, quoniam occaſione virium noſtrarum conſideramus vos injuſta præſumere, de his alias ſecundum id, quod a nobis deliberatum fuerit, Chriſto auxiliante decernemus. Quod vero ad præſens attinet, caſſatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ tuæ decretis, ex Beati Petri Principis Apoſtolorum auctoritate decernimus, 30. dierum ſpatio te ſacra communione privatum, ab omnipotenti Deo noſtro tanti exceſſus veniam cum ſumma pœnitentia, ac lacrymis exorare. Quod ſi hanc ſententiam noſtram te cognoverimus impleſſe remiſſius, non jam tantum injuſtitiam, ſed contumaciam fraternitatis tuæ cognoſcas, adjuvante Domino, ſeverius puniendam. Præfatum vero Hadrianum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum ex tua ſententia, ut diximus, nequaquam canonibus, nec legibus exiſtente damnatum, in ſuum locum, atque ordinem reverti, Chriſto comitante diſponimus, ut neque illi fraternitatis tuæ noceat contra juſtitiæ tramitem prolata ſententia, neque claritas tua pro placanda futuri indignatione judicis, incorrecta remaneat.

NOTÆ.

1 a GRegorius.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titulo cap. 2. & in regeſtr. epiſtolari Gregorii Magni,* ubi *lib. 2. indict. 11. ep. 6.* reperitur hic textus, ex quo regeſtro ita inſcriptionem, & ejus litteram reſtituo.

2 b *Juſtinianea.*) Cum Imperator Juſtinianus Sclavis in Illyrico devictis, utramque Daciam, & Pannoniam recuperaſſet, patriam ſuam Acridam Metropolim totius regionis fecit, ac Juſtinianeam primam appellavit, ad differentiam ceterarum, quas etiam Juſtinianeas dixerat. Ab eo ſiquidem Ulpiana in Dardania Juſtinianea dicta fuit, teſte Procopio *lib. 4. de ædific. Juſtin.* & Carthago Metropolis Africæ Juſtinianea tertia, ut ex novella 131. Juſtiniani colligitur, & Mociſſus in Cappadocia, & Cypſela, & Gordus, & Conſtantia Cypri Metropolis, & Camuliana, aliæque plures, quarum in Conciliis memoria eſt. Eam mirifice exornatam auxit, forma quadrangulari mœnibus extructis, munitiſſimiſque turribus in angulis cinxit, & eam Præfecti Illyrici ſedem eſſe voluit *novel. 11.* Procopius *d. lib. 4.* ejus vero ſitus proprius ignoratur. Nicephorus Calixtus *lib. 16. hiſt. c. 37. & l. 17. c. 28.* eam juxta Lygrinidium lacum in Epiro nova collocat: Zonaras *in Baſilio Porphyrogenito, t. 3. annal.* apud Dardaniam in Bulgaris: Juſtinianus *d. novel. 11.* in Pannonia ſecunda ponit; ſed forte Juſtinianus Pannoniæ nomine Dalmatiam ex eo vocat, quod Pannonia late ſumpta eam proculdubio complecteretur, ac proinde Prævalim, quæ Dalmatiæ pars erat, & apud quam proprie fuiſſe Acridam, non levibus ductus fundamentis conjicio. Eidem Archiepiſcopum dedit Primatem Epiſcoporum Daciæ Mediterraneæ, Ripenſis, Dardaniæ, Myſiæ ſuperioris, & Pannoniæ, quarum Antiſtites ab ipſo; illum vero a proprio provinciarum Epiſcopo ordinari juſſit, ac locum R. Sedis apud illos tenere, *novel. 131. §. 1.* refert Niceph. Calixtus *l. 16. c. 37. & l. 7. c. 28.* "Patriæ quoque ſuæ *inquit*, Acrido præcipuum honorem habens Juſtinianus Archiepiſcopali dignitate eam decoravit, Eccleſiamque ibi liberam, quæ ipſa ſibi caput eſſet cum plena poteſtate, conſtituit, & primam Juſtinianeam vocavit, quemadmodum & in inſula Cypro poſtea ſecundam Juſtinianeam, eamdem Archiepiſcopalem, parem ei cum Acrido honorem tribuens, fecit in conjugis ſuæ Theodoræ Auguſtæ inde ortæ favorem." Porro Acrido urbs eſt in excelſo tumulo conſtructa, prope lacum maximum, qui Lychnedus appellatur; antiquitus autem Baſſaritis vocatus eſt. Joannes Langus Interpres *ad finem lib. 17.* Juſtinianeam primam in Dardania Europea ponit: "Apud Dardanos, *inquit*, Europeos, qui ad Epidamni fines accolunt, regio Taureſia dicta fuit, ubi Juſtiniani, qui orbem terræ ædificiis exornavit, patria: locum eum brevi muro circumdedit in quadranguli formam ſtructura redacta, atque in angulo quoque turri excitata, hoc eſt quatuor turres habentem effecit, & a ſe nominari curavit, atque hanc præclariſſimam condidit, quam Juſtinianeam primam vocavit, nutritia hæc præmia altrici ſuę tribuens. Ibi vero & aquæductum, ut civitas lymphis affatim abundaret, fieri fecit. Addidit alia inſuper egregia opera, Dei templa plurima, domicilia Principum virorum magnifica, porticus amplas, &c." Notarunt Pancirola *in notitia utriuſque Imperii, c. 13.* Philip. Berterius *diatr. 2. fol. 162.* Unde tamquam Primas in præſenti caſu de cauſa Epiſcopi Hadriani cognovit, qui a Metropolitano Joanne Archiepiſcopo Lariſſano fuerat condemnatus.

3 c *Thebanæ.*) Thebais tertia pars Ægypti a Thebis uſque ad Sienen verſus meridiem porrigitur: a Thebis regionis Metropolis ita eſt dicta: ea magna fuit civitas ambitu 17. millium paſſuum: magnis edificiis, quæ ad quintam contignationem ſurgebant, magnificiſque templis exornabatur: centum portas ab Homero habuiſſe dicitur, quas aliqui tum mœnium, tum templorum, atque aliorum operum publicorum fuiſſe interpretantur. Sed Ammianus Marcel. *lib. 13.* murorum civitatis fuiſſe vult. Olim Buſſitis a conditore eſt nominata: alii Dioſpolin appellant; nunc parvus eſt 300. domorum pagus. Plura de Thebaide, & ejus Preſide congeſſit Pancirola *in notis Imper. Orient. c. 119.* jam a primis Eccleſię ſeculis habuit Eccleſiam Cathedralem, cujus Epiſcopus Aniſius ſubſcripſit in Conc. Epheſino.

d *Lariſſæum.*) Lariſſa, Livio teſte *l. 6. decad. 4.* nobilis urbs, & Theſſaliæ caput eſt ad Peneum fluvium ſita, ut refert Procopius *l. 4. de ædific. Juſtin.* a Lariſſa Pelaſgi filia condita, ut ſcribit Pauſan. *l. 2.* ejuſque nomine appellata. Hanc non longe a Pharſalicis campis ſitam eſſe ex hoc arbitror, quod Cneus Pompejus poſt acerbam ibi cladem acceptam ſub lucem in eam venerit, cum ſub veſperam caſtris exceſſiſſet, 4
Unde Lucanus *l. 8.* ait:

Vidit prima tuæ teſtis Lariſſa ruinæ
Nobile, nec victum fatis caput

Huic vero Metropolitica jura ab Eccleſia conceſſa fuiſſe, conſtat ex præſenti epiſtola, & ex Catalogo Metropolitanorum, ad quos ſcripſit Leo Imperator poſt Concilium Chalcedonenſe, ubi refertur Vigilantius Epiſcopus Lariſſæ. Fuit etiam alia Lariſſa ſub Oſſa monte, quam Pelaſgiam ab aliquibus vocari, Stephanus *lib. de urbibus* ait: notarunt Carolus a S. Paulo *in geograph. ſacr. lib. 8. fol. 197.* Boſquetus *in notis ad Innoc. lib. 1. epiſt. 41.*

e *Criminalibus.*) Cauſas, tam criminales, quam civiles contra Hadrianum propoſitas expreſſit ipſe magnus Gregorius 5
epiſt. 7. ſeq. miſſa Joanni Epiſcopo Lariſſæo, his verbis: (Frater noſter Hadrianus Thebanæ civitatis Epiſcopus, ad Romanam urbem veniens lacrymabiliter eſt conqueſtus de quibuſdam capitulis ſe a fraternitate tua, necnon a Joanne primæ Juſtinianeæ urbis Epiſcopo, non legitime, neque canonice condemnatum. Cumque per diuturnum tempus nullam adverſæ partis videremus huc advenire perſonam, quæ ejus debuiſſet objectionibus reſpondere, neceſſario cognoſcendæ veritatis intuitu ea, quæ penes vos acta ſunt, relegenda tradidimus. Ex quibus cognovimus Joannem, atque Coſmam Diaconos, unum pro lubrico corporis, alterum pro fraudibus Eccleſiaſticarum rerum, proprio depulſos officio, de pecuniariis, criminalibuſque capitulis adverſus eum piiſſimis noſtris Imperatoribus ſuggeſſiſſe. Qui per juſſiones ſuas te voluerunt, ſervata videlicet juris, canonumque diſtrictione cognoſcere, ita ut de pecuniariis quidem ferres firmam jure ſententiam. De criminalibus vero eorum clementiæ, habita ſubtilius examinatione, ſuggereres. Quod ſi tam rectas juſſiones tua fraternitas rectis quoque mentibus accepiſſet, numquam viros pro ſuis exceſſibus proprio amotos officio, atque jam immutabilis animi, ad accuſationem paſſim ſui accepiſſet Epiſcopi: maxime cum ex ſuggeſtione piiſſimis Dominis oblata, eorum ſit detecta fallacia: quia cum conſenſu omnium clericorum hæc contra ſuum Pontificem ſe ſuggeſſiſſe profeſſi ſunt. Poſt hæc tamen, ut breviter quædam, ſtrictimque quæ apud te ſunt acta, percurram. Primum capitulum penes fraternitatem tuam motum, eſt Stephani Thebani Diaconi, cujus vitam quaſi ſciens turpiſſimam Hadrianus Epiſcopus, non eum ſui ordinis honore privaverat. Quod capitulum nullus deductorum teſtium ad Hadriani Epiſcopi dicit perveniſſe notitiam, niſi quod ſolus Stephanus turpis vitæ, ſuaque profeſſione damnabilis, dicitur eſſe confeſſus. Secundum capitulum adverſus eum videtur eſſe propoſitum de infantibus ejus juſſu a ſacri Baptiſmatis ſuſceptione prohibitis, atque ita inabluta ſorde peccati defunctis in tenebris. Sed nullus adverſus eum deductorum teſtium profeſſus eſt, noſſe ſe tale aliquid ad Hadriani Epiſcopi perveniſſe notitiam, ſed a matribus infantium, quarum viri remoti pro

pro culpis, ut dicitur, ab Eccleſia fuerant, ſe cognoviſſe dixerunt. Sed nec inbaptizatos eos mortis tempus profeſſi ſunt occupaſſe, ſicut accuſatoria continebat invidioſa ſuggeſtio: cum in Demetriade civitate baptizatos eſſe conſtiterit. Et hæc quidem de criminalibus cauſis. De pecuniariis vero qualiter a te fuerit judicatum, inquiſitio deputatorum a Principe virorum piiſſima juſſione ſereniſſimis Principibus atteſtatur. Nam cum tuam ſæpefatus Hadrianus ſuſpendiſſet appellatione ſententiam, quantum ex quatuor teſtium depoſitionibus apud Joannem primæ Juſtinianeæ Epiſcopum prolatis agnovimus, arctiſſima detruſus cuſtodia libellum, in quo objecta ſibi confiteretur capitula, tuæ coactus eſt fraternitati porrigere. Qui quidem in porrecto a ſe libello de pecuniariis in venitur tuæ conſenſiſſe ſententiæ. Criminalia vero medio quodam, dubioque verborum calle tranſcurrit, ut & tua quibuſdam ſubjectis nebulis fruſtraretur intentio, & ipſe porro a confeſſione imperplexa locutionis obſcuritate refugeret. Cumque porrecta appellatio per homines ejus, ceteraque, quæ penes te geſta ſunt, piiſſimis fuiſſent deportata Principibus, deputatis, ut diximus, Honorato Diacono Sedis noſtræ, & Sebaſtiano glorioſo Antigrapho, cunctiſque examinatis ſubtiliter, a Sereniſſimis eſt Dominis ab omnibus juſſionibus abſolutus. Sed neſcio quibus machinationibus exquiſitis alia rurſus eſt principalis juſſio elicita, ut de cunctis antefatis capitulis Joannes primæ Juſtinianeæ Epiſcopus requirens ſubtiliter judicaret. In cujus judicio omnes Clerici Hadriani Epiſcopi, & Demetrius Diaconus inter tormenta profeſſus eſt, omnem hanc contra Hadrianum Epiſcopum calumniam fraternitatis tuæ machinatione confectam, nec aliqua de capitulis ipſis, quæ in tua audientia criminaliter objecta fuerant, Hadriano Epiſcopo ſunt probata. Sed provenit alia contra canones, ac leges in Demetrio Diacono ejus, aliiſque perſonis crudelis, atque doloroſa diſcuſſio, in qua nihil pene repertum eſt, ex quo ſæpememoratus Hadrianus damnari legitime debuiſſet, ſed magis ex quo potuiſſet abſolvi. Sed de Joanne primæ Juſtinianeæ urbis Antiſtite, ac de nequiſſimo ejus, damnandoque judicio alias ſumus juvante Domino tractaturi. Hadrianum vero Epiſcopum reperimus, & tuo contra ſacerdotales mores odio laboraſſe, & nullo jure pecuniariis in cauſis eum fraternitatis tuæ condemnatum fuiſſe ſententia. Quia igitur & ab antefato Joanne primæ Juſtinianeæ Epiſcopo contra jus, canoneſque depoſitus, honoris ſui gradu carere non potuit, in ſua eum reformari Eccleſia, atque in propriæ dignitatis ordinem decrevimus revocari. Et cum oportuiſſet te ex eo Dominici corporis communione privari, quod admonitione ſanctæ memoriæ deceſſoris noſtri contempta, per quam eum, Eccleſiamque ejus de tuæ juriſdictione poteſtatis exemit, rurſus in eis aliquid tibi juriſdictionis ſervare præſumpſeris: tamen nos humanius decernentes, communioniſque tibi ſacramentum interim conſervantes, decernimus ut fraternitas tua ab eo, Eccleſiaque ejus omnem antehabitæ ſuæ poteſtatem juriſdictionis abſtineat, & ſecundum ſcripta deceſſoris noſtri, ſi qua cauſa, vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adverſus præfatum Hadrianum conſacerdotem noſtrum potuerit evenire, vel per eos, qui noſtri ſunt, vel fuerint in urbe regia reſponſales, ſi mediocris eſt quæſtio, cognoſcatur, vel huc ad Apoſt. Sedem, ſi ardua eſt, deducatur, quatenus noſtræ audientiæ ſententia decidatur. Quod ſi contra hæc, quæ ſtatuimus, quomodolibet tempore, ſeu qualibet occaſione, vel ſurreptione venire tentaveris, ſacra ſcias te communione privatum: nec eam te, excepto ultimo vitæ tuæ tempore, niſi conceſſa R. Pontificis decernimus juſſione percipere. Hæc enim conſona ſanctis Patribus definitione ſancimus, ut qui ſacris neſcit obedire canonibus, nec ſacris adminiſtrare, nec communionem capere ſit dignus altaribus. Res autem, ſive ſacras, ſive alias mobiles, immobileſque ejus Eccleſiæ, quas hactenus diceris retinere, quarum notitiam nobis oblatam præſentibus annectimus litteris, ſine aliqua ei dilatione fraternitas tua reſtituat. De quibus ſi qua inter vos quæſtio vertitur, volumus ut apud reſponſalem noſtrum in urbe regia ventiletur. Cujus fragmentum refertur a Gratiano *in c. frater 52. 16. q. 1.*

f *Contra canones.*) In præſenti materia, aut ubi periculum animæ imminet, vel tandem generaliter in terris Eccleſiæ quoad ſpiritualia, & temporalia illi ſubjectis: in his enim caſibus ſententia contra ſacros canones prolata ipſo jure nulla eſt, ut probant Pinellus *l. 1. ſelect. c. 19.* Petrus Faber *in l. res judicata 207. p. 725. ff. de R. J.* Treutl. *vol. 6. ſelect. diſp. 23. n. 5.*

COMMENTARIUM.

6 Concluſio probatur. EX fragmento epiſt. D. Gregorii in præſenti compilato talis vulgo deducitur diſputanda aſſertio: " Sententia contra leges, canoneſve prolata nulla eſt, nec ab ea appellare eſt neceſſe. " Probant eam textus *in c. inter 9. c. cum inter 12. c. quoad conſultationem 15. hoc tit. c. per tuas, de ſent. excommun. c. examinata, de confirm. utili, c. ei, qui, verſ. Item, 2. q. 6. c. frater 26. q. 1. l. magis, §. ſi æs alienum, ff. de rebus eorum, l. nemo, C. de ſent. & interloc. l. ſi expreſſim 19. ff. de appellat. Authent. hodie, C. de judic. leg. 4. §. condemnatus, ff. hoc titul. l. in hoc 28. ff. famil. erciſc. l. ſi quis filio 6. §. quod ſi quis, ff. de injuſto rapto, l. 1. §. item contra, ff. quæ ſententia, ſine appel. l. 1. & 2. C. quando provocare, l. 1. C. ſi a non competenti, c. ſolet, de ſent. excomm. lib. 6. l. 1. & 19. tit. 22. p. 3. l. 1. tit. 6. lib. 3. ordin.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Balboa, Barboſa, Garanna, & Fermoſino, Millianus, & Cujacius, *in præſenti*: idem Cujacius *ad Digeſta, in leg. ſi libertus 6. ff. de jurepatr.* & *ad tit. C. quando provocare*, & *lib. 10. reſponſ. Modeſtini in l. Præſes, ff. de judic.* & *in l. 1. ff. quod quiſque juris*, & *lib. 18. obſerv. c. 33.* Faber *lib. 12. conject. c. 14.* Oſualdus *lib. 26. Donelli, c. 6.* Duarenus *ad tit. ff. de judic. c. de var. judic.* Cujacius *in l. 1. C. de legibus*, & *lib. 6. obſerv. c. 25.* & *in l. merito, C. de ſuis & legit.* Alciatus *in l. qui Romæ, §. ult. ff. de V. O.* Ughellius *in method. juris can. fol. 214.* Angujanus *de legibus lib. 2. c. 7. n. 18.* Valentia *lib. 2. illuſtr. tract. 2. c. 6. n. 18.* Pichard. *in princ. Inſtit. de offic. Judic.* Pinellus *lib. 1. ſelect. c. 19.* Vultejus *de judic. lib. 4. c. 1.* Deſid. Herald. *de auctor. rei judic. lib. 1. c. 4.* Petrus Barboſa *in l. maritum, n. 51. l. ſi Prætor n. 37. ff. de judiciis.*

7 Impugnatur concluſio. Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis valde redditur ſequenti juris principio; nam in omnibus rebus præcipue æquitatis ratio potius quam ſtricti juris habenda eſt, *l. placuit 8. C. de jud. l. in omnibus, ff. de R. J.* Donellus *lib. 26. c. 2.* Mancinus *lib. 1. genial. c. 5.* Bronchorſt. *centur. 1. aſſert. 5.* Pacius *cent. 8. q. 100.* Oſuald. *l. 1. Donelli, c. 13. litt. G*, Morla *empor. tit. 1. q. 10.* Amaya *in apol. contra Eſcobarium, n. 66.* Turturetus *differt. jurid. 54.* Leotard. *de uſuris, q. 60. n. 74.* D. Joſeph de Retes *lib. 2. opuſc. ſect. 3. c. 1. n. 5.* Carraſco *ad leges Recopil. c. 7. n. 10.* Fachin. *lib. 1. controv. c. 13.* Rendin. *de Majeſtate Principis fol. 117.* Acacius *de privil. juris civil. c. 10. n. 5.* & *c. 12. n. 33.* Salmut. *ad Pancir. lib. 1. tit. 44.* Vela *differt. 37.* Solorzanus *embl. 63.* Guazinus *de def. reor. defenſ. 35. c. 20.* Igitur ſi judex agnoverit æquitate ſuadente aliud decernendum eſſe, quam jure ſcripto cautum eſt; & eam ſequens, contra jus pronuntiaverit, juſte decernit, & per conſequens ejus ſententia amplectenda eſt, etſi contra leges prolata ſit. Accedit, nam Prætoris officium eſt contra jus ſtrictum ex æquitate pronuntiare, & ſtatuere, *l. Divus 7. ff. de integr. reſtit. princ. Inſtit. de bonor. poſſ. l. ff. de inſtit. action.* Unde in pluribus caſibus Prætor juris aſperitatem mitigavit, & correxit; *l. jus autem 7. §. 1. ff. de juſtit. & jure, l. licet 15. ff. de receptis, l. quamvis 11. ff. de in jus vocand. l. ſunt 43. ff. de relig. l. 3. §. cauſæ, ff. de Carbon. edict.* imo & Jureconſultorum magna olim erat auctoritas pronunciandi contra jus ſcriptum, æquitate contrarium ſuggerente, ut deducitur *in l. ſi ſervum 91. §. ſequitur, ff. de V. O. l. avus 79. ff. de jure dotium, l. penult. ff. ad exhib. l. 2. §. quamquam*, & *§. ſequenti, ff. de aqua & aqua pluv. arc. l. 1. §. qui operas, ff. ad SC. Tertyl.* igitur ſententia contra jus prolata valet, & ſuſtinetur. Facit etiam magna ratio, videlicet auctoritatis rei judicatæ: poſt rem enim judicatam non quæritur, an æque, vel inique judicatum ſit, *l. poſt rem, ff. de re jud.* vel ſi per errorem, aut ambitionem judex ſententiam dixerit, *l. ſervo invito, §. cum Prætor, ff. ad Trebel.* tantaque eſt rei judicatæ auctoritas, ut de falſo faciat verum, ut pragmatici loquuntur; de nigro album, de quadrato rotundum, ut late probant Valenzuela *conſil. 68. a n. 21.* Parexa *de inſtrument. edit. tit. 2. reſol. 6. ſpecie 4.* Igitur poſtquam judicatum eſt, & ſententia tranſiit in rem judicatam, quæri non debet, niſi an judicatum ſit, non vero an ſecundum, vel contra jus pronuntiatum ſit.

8 De modis impugnandi. Qua dubitandi ratione minime obſtante vera eſt præſens deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, ſententiam a judice prolatam impugnari poſſe ex duplici capite, vel nullitatis, vel iniquitatis; quorum illud proceſſum judiciarium non obſervatum potiſſimum arguit; hoc vero non obſervata merita. Remedium nullitatis unicum eſt, licet ex modo proponendi varie intendatur: remedium vero iniquitatis multiplex eſt, nimirum appellatio, ſupplicatio, reſtitutio in integrum, reductio ab boni viri arbitrium, de quibus agemus titulo ſequenti. De poſteriori nonnulla notavi *in tit. de arbitris.* Illud commune omnium eſt, videlicet omnia comparata eſſe in præſidium innocentiæ, non vero calumniæ, *c. cum ſpeciali, §. porro, c. pervenit, c. conſuluit, §. Romana, de appel.* Nullitatis etiam cauſæ variæ ſunt, tot videlicet, quot proceſſus dantur requiſita. Hinc nullitas provenit, vel ex perſona judicis, & litigatorum, vel ex modo proceſſus, quas late proſequuntur Speculator *ſub tit. de ſententiis*, Vantius *tract. de nullit.* Vultejus *de jud. l. 4. c. 1. ex n. 12.* & aliquas dabimus infra *in c. inter ceteras.* Inter eas autem, ut præcipua ab illis refertur, cum ſententia prolata eſt contra manifeſta jura, vel apertus error in ea reperitur, vel lata eſt ex cauſa notorie, vel manifeſte falſa non enim jure fertur ſententia, quæ contra jus ipſum pronuntiatur: ideoque ea adeo nulla eſt, ut neceſſe non ſit ab illa provocare: ex quibus aliqua exempla in medium proponemus. Primum refertur a Marco Jureconſulto *in l. 1. §. item cum contra, ff. quæ ſent.* ubi refertur, quod ſi judex adverſus eum, qui ſe a cura minoris excuſat beneficio liberorum, pronunciet numerum liberorum nullam præſtare excuſationem, contra jus aperte pronuntiaſſe videtur, quo conſtitutum eſt, numerum liberorum a tutela, vel cura excuſare, *l. 1. C. qui numer. liber. l. nepotes, C. de his qui num. lib. 10. l. 2. §. numerus, ff. de vacat. & excuſ. muner.* Secundum ſi judex dixerit, potuiſſe minorem 14. annorum teſtamentum facere, ac per hoc potiorem eſſe cauſam hæredis in eo teſtamento ſcripti, quam venientium ab inteſtato; tunc enim ſententia nulla eſt, *l. 1. §. 2. ff. quæ ſententiæ, l. 2. l. 5. C. quando provocare*, quia eſt aperte contra jus conſtitutum *in l. qua ætate 5. ff. qui teſtam.* tertium ſi judex pronuntiaverit maritum in ſolutione dotis in ſolidum eſſe condemnandum, *leg. ex diverſo 17. §. ult. ff. ſolut. matrim.* cum ex juris diſpoſitione non teneatur ultra quam facere poteſt, *l. maritum 12. cum ſequenti, ff. eod. tit. l. non tamen 10. cum ſeq. ff. hoc tit.* vel ſi judex aliquem furti accuſatum damnaverit furti nomine, & pronunciaverit eum nihilominus infamem non eſſe, *l. non poterit 63. ff. de furtis*, cum furti damnatus a jure infamia notetur, *l. 1. l. furti 6. ff. de his qui not. infam.* vel ſi ita pronuncia-

verit

verit condemnando Sejum ob damnum ab ejus ſervo datum, & ſimul dicat, ne poſſit ſervum pro noxa dare, *l. miles 6. §. 1. hoc tit.* quod eſt contra jus relatum ſub titulo Digeſtorum *de noxal.* Alia exempla hujus doctrinæ erudite congeſſit Cujac. *ad tit. C. quando provocare.* Generaliter ergo tenendum eſt, ſententiam contra jus ferri, cum ex ipſa, ipſiuſque tenore colligitur, aperte violatas, tranſgreſſaſque eſſe conſtitutiones. Nec ſufficit, ſi per argumentum inducere quis velit prædictum ſententiæ vitium, ut docet poſt Jaſonem *in l. cum prolatis 31. n. 19. ff. hoc tit.* Pinellus *lib. 1. ſelect. c. 19.* Quoties enim juris error in ſententia exprimitur, contra leges ſententia profertur, *l. ſi expreſſum 19. ff. de appel.* quoties vero error in ſententia non exprimitur, non poteſt dici directo contra leges fuiſſe pronunciatum, cum eo caſu leges directo non offendantur; quippe non agitur de jure conſtitutionis, ſed jure litigantium, ut *in l. 1. §. quid ſi in lite, ff. ſi quid in fraud. l. 3. §. puberi, ff. de Carbon. edict. l. ult. ff. de colluſ. deteg. l. ſed ſi hoc 10. §. Patronum, ff. de in jus vocand. l. ſi fundus 16. §. ſi plures, ff. de pign. l. ult. C. de fideicommiſſ. libert.* Quando autem error in ſententia exprimitur, leges in eo offenduntur, & tunc nulla eſt ipſo jure.

9 Exponitur l. præſes 27. ff. hoc tit. Juxta quam diſtinctionem repetentes in præſenti accipiunt textum *in l. Præſes 27. ff. hoc tit.* ubi docetur, quod ſi Præſes Provinciæ in uſuras uſurarum condemnavit Lucium Titium contra leges, ſacraſque conſtitutiones, atque ideo Lucius appellavit, ſi in ipſa ſententia certa quantitas contineatur, actione judicati agi poſſe: quod Modeſtini reſponſum difficile eſt: nam uſuræ uſurarum in jure reprobatæ ſunt, *l. ſi non ſortem 26. §. 1. ff. de condict. indeb. l. ult. C. de uſuris.* Quare judex pronuntiando uſuras uſurarum eſſe ſolvendas, contra jus, & expreſſas conſtitutiones decrevit, atque ita in ea ſpecie juxta ſupra tradita appellatio neceſſaria erat; ſiquidem ſententia ipſo jure fuerat nulla. Doctores Claſſici in præſenti communiter textum illum accipiunt caſu, quo in ſententia error non fuit expreſſum, nec judex aperte dixit: *Condemno Lucium Titium in uſuras uſurarum*; ſed tacite, ideſt cum actor petiiſſet centum uſurarum nomine, & alia 20. propter uſuras illarum, Præſes condemnavit reum in centum, & viginti; quo caſu licet quoad effectum ſolvantur uſuræ uſurarum; tamen cum aperte non exprimatur error in ſententia, ipſa ſuſtinetur, ut *in l. 3. §. ſi puberi, ff. de Carbon. edict. l. ex diverſo 17. §. fin. ff. ſolut. matrim. l. ſi fundus 16. §. ſi plures, ff. pignor.* juncto Fabro *l. 16. conject. cap. 14. l. ſi ſponſus, §. ſi uxor 7. ff. de donat. inter, l. ſi præfinita, ff. de pœnis*, juncto Cujacio *l. 6. obſerv. c. 25. l. fin. ff. de jurepatr. l. ſi quid ergo 6. §. 7. ff. de his qui notant. infam. l. 4. C. ex quibus cauſ. infam. l. jure 26. ff. de teſtam. tut. l. 6. §. quid tamen 9. ff. de injuſto rupto, l. eo tempore 50. ff. de pecul. l. ſi patronatus 12. §. 3. ff. de bonis libert. l. ſtatuliberi 29. §. 1. ff. de ſtatulib. l. fin. C. de fideicommiſſ. libert.* Sed hæc interpretatio refellitur a Benedicto Pinello *l. 1. ſelect. c. 19. n. 2.* tum quia aperte ait Modeſtinus, Præſidem reum condemnaſſe in uſuras uſurarum, & ab ea ſententia tamquam injuſta Lucium Titium appellaſſe; tum quia Modeſtinus tantum quærit, an ſententia certam quantitatem contineret, necne; non vero, an injuſta, vel nulla eſſet: igitur ſupponit mero jure valuiſſe. Hac igitur omiſſa ſententia, pro ipſius textus vera interpretatione Pinellus, *ubi proxime, n. 33.* ſupponit: in ea ſpecie vere actorem petiiſſe uſuras uſurarum, & reum oppoſuiſſe legibus prohibitam eſſe talem exactionem, ſed actorem replicaſſe, ſe non petere uſuras uſurarum tamquam uſuras, ſed ut intereſſe, ob damnum, quod ſenſerat ex dilatione ſortis principalis, & uſurarum, ut ex actis ipſius proceſſus apparebat; tuncque judicem condemnaſſe Lucium Titium etiam in uſuras uſurarum, tamquam intereſſe. Quæ ſententia juri contraria non eſt; ſed quia intereſſe non ita verum erat, ac ex actis proceſſus conſtabat, reus appellavit, ſed non legitime, ideſt non debito tempore: unde quærebatur, an ſententia exequi poſſet, actioque judicati daretur: Dubitandi ratio non erat, quia ſententia lata fuerat contra leges conſtitutioneſve; cum judex condemnaſſet Lucium Titium in uſuras uſurarum, tamquam in legitimum intereſſe, ſed ex eo, quod injuſta videbatur ſententia, cum judex tantum pronuntiaſſet, *Condemno Lucium Titium in uſuras uſurarum.* Quare ex capite incertitudinis invalida videbatur ſententia, *l. penult. C. de ſentent. quæ ſine certa quant.* unde ait Modeſtinus, quod ſi ſententia certam quantitatem contineat, quæ liquidari poſſit ex actis judicati, actionem competere, cum non legitime reus appellaſſet. Suppoſuit ergo Modeſtinus, ſententiam valuiſſe, quia non in uſuras uſurarum, ſed in earum intereſſe prolata fuit: attamen quia de incertitudine ambigebatur, recte docuit Modeſtinus, quod ſi certa quantitas probari poſſit, ſententiam exequi debere.

10 Traditur ratio decidendi. Quibus ita animadverſis apparet jam vera ratio præſentis deciſionis; nam facti ſolum quæſtio judicis arbitrio relinquitur; quæ autem ſunt juris, legis auctoritati reſervantur, *leg. 1. ff. ad Turpil. leg. ordine, ff. ad municip.* ibi: " Facti quæſtio in poteſtate judicantium eſt: juris autem auctoritas non eſt. " Ex Ariſt. illuſtrant Duarenus *l. 1. diſp. 41.* Unde ſi contra jus expreſſe judex pronuntiet, functionem judicis egreſſus legiſlatorem ſe facit: Accedit, nam ſecundum leges judex debet ſententiam ferre, non ſuo ſenſu, *l. nemo, C. de ſent. & interl.* qua de re conqueritur Imperator *in l. 2. C. de veteri jure*, ubi ait, ante juris compoſitionem judices pro ſuo arbitrio judicare ſolitos: " Voluntate, *inquit*, judicium magis, quam legitima auctoritate lites dirimebantur: Docent Morla *in empor. tit. de legibus, q. 15. n. 5.* Giphanius *in l. 1. C. de legibus.* Unde ſententia contra jus expreſſum lato ipſo jure nulla eſt: quia ſententia, quæ nulla eſt, non tranſit in rem judicatam, nec ſententiæ nomen meretur, *l. 4. §. condemnatum, l. ſi cum nulla 58. ff. hoc tit. l. 2. in fine, ff. de pœnis*; ideo ab ea appellare non eſt neceſſe, *d. l. ſi expreſſim 19.* imo & ipſe judex, qui ſententiam protulit, poterit illam revocare, nec eſt neceſſe Principem conſulere, *l. 1. C. de ſent. & interl. l. fin. C. de ſent. quæ ſine cert. l. ſi accuſatoribus 4. Cod. de accuſat. c. 2. de purgat. canonic.* docet Valentia *d. l. 2. tract. 2. c. 6. n. 23.* ex eadem etiam ratione ſententia contra aliam ſententiam, quæ jam in rem judicatam tranſit, lata non valet, *l. 1. ff. quæ ſententiam, C. de appell. l. 1. C. quando provocare, l. 1. C. ſententiam reſcindi.* Proſequuntur Pichardus *in dict. princip. Inſtit. de offic. judic.* Balboa, & Garanna *in præſenti.*

11 Reſpondetur dubitandi rationi. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, nam potius verum eſt, proprium, peculiareque Principis eſſe, in conflictu æquitatis, & ſtricti juris, interpretationem præbere, *l. 1. C. de legib.* olim tamen hæc poteſtas, ſeu auctoritas mitigandi juris aſperitatem, tantum pertinebat ad Juriſconſultos, & Prætorem quoad rationem, & regulam juris, non vero quoad ipſas leges. Exemp. gr. ſi lex aliqua, ut Ælia Sentia, Falcidia, ſeu Cincia continebant aliqua duriora, non licebat Juriſconſulto contra legem aliquid reſpondere, *leg. proſpexit, ff. qui & a quibus*, idem in Prætore eveniebat, *l. non eſt ambigendum 11. ff. de bonor. poſſeſſ.* ubi docetur, Prætorem non poſſe dare bonorum poſſeſſionem ei, quem lex prohibet accipere: unde directo contra legem nunquam Conſulti, aut Prætores ſtatuebant, ſed in caſibus a jure non deciſis, vel indeciſis, leges ipſas interpretando, aut ex æquitate exponendo. Nec augmentum dubitandi rationis deductum ex auctoritate rei judicatæ obſtat; nam id procedit quando ſententia valida eſt, & tranſit in rem judicatam; quo caſu licet prolata ſit contra jus litigatoris expreſſe, vel tacite contra leges, valet, & ſuſtinetur: at vero quando expreſſe contra jus pronuntiatur, quia ipſo jure nulla eſt, non meretur nomen ſententiæ, nec tranſit in auctoritatem rei judicatæ.

12 Exponitur l. moris 9. §. iſte, ff. de pœnis. Sed ſupra traditis adverſatur textus *in leg. moris 9. §. iſte*, alias *§. ſed enim, ff. de pœnis*, quem ut expendam, ſuppono Decurionibus privilegium conceſſum eſſe, ne ſummo capitis ſupplicio affici poſſint, nec ad beſtias, in metallum, vel opus metalli damnari, niſi prius conſulto, & jubente Principe id fiat, *l. penult. ff. ad l. Corn. de Sicar. leg. Divi fratres 27. ff. de pœnis, l. 2. §. ſi is, ff. de bonis eorum, qui ante ſent. l. 1. §. ſimili modo, ff. quando appellandum, l. Decurionem 3. l. Decurionum 12. C. de pœnis*: unde ſi Decurio ad beſtias condemnetur, affirmant Ulpianus *in l. ſi quis 6. §. ejus qui 7. verſ. Sed ſi, ff. de juſto rupto*, ſententiam nullam eſſe, & per conſequens ita Decurionem damnatum capitis diminutionem pati, vel teſtamentum illius irritum fieri: ſed in eadem ſpecie docetur *ind. §. iſte*, quod ſi Decuriones ad beſtias fuerint damnati, liberandos eos eſſe, & ſententiam retractandam Principis auctoritate. Igitur quia ſententia contra jus expreſſe prolata valet, donec per ſuperiorem infirmetur. Cui difficultati ut ſatisfaciat Valentia *d. l. 2. tr. 2. c. 6. n. 21.* accipit textum illum de illo, qui cum tempore ſententiæ non conſtaret Decurionem eſſe, poſtea apparuit illum Decurionatus honore fungi: unde attento ſtatu latæ ſententiæ, juſte judex pronuntiavit. Quare ſi poſtea appareat Decurionem eſſe, poteſt, & debet ſententia revocari per Principem, ut evenit quando per ſententiam condemnatoriam de innocentia rei apparet, *l. 1. §. ult. ff. de quæſtion.* Sed hæc doctiſſimi viri ſententia ſuſtineri non poteſt, cum *in d. §. iſte* expreſſe agatur de Decurione damnato ad beſtias, dum conſtaret eum Decurionatus honore fungi. Unde ea ſententia omiſſa, pro vera ipſius textus interpretatione ſupponendum eſt, leges prohibitivas aliquando generaliter, & indiſtincte actum prohibere, aliquando ita ut accedente aliqua circumſtantia prohibitio ceſſet, veluti ne impubes teſtamentum faciat, *l. a qua ætate 5. ff. qui teſtam.* quicquid olim Conſtantinus circa pueros tribunos conſtituerit, ut ex Sozomeno refert Cujacius *l. 19. obſ. c. 36.* quod Juſtinianus abrogavit *in l. fin. C. de teſtam. milit.* vel cum filiofamilias prohibetur teſtari, cui prohibitioni adjicitur exceptio illa: " Niſi de bonis caſtrenſibus, princ. Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtam. " Item in prohibitione, ne bona minorum diſtrahantur, *l. 1. & per totum ff. de rebus eorum*: quæ ceſſat æris alieni cauſa interveniente, *l. magis 5. §. ſi æs alienum, ff. eod. tit.* Similiter in prohibitione, ne ædificia ultra modum erigantur, de qua *in l. 1. C. de ædif. privat.* Cujacius *l. 19. obſ. c. 35.* ubi datur exceptio, niſi vicinus conceſſerit altius ædificare, *l. loci corpus, §. competit, ff. ſi ſervitus vindic.* Inter quas leges prohibitivas illa datur differentia, quod ſi ſententia proferatur contra priores leges, ipſo jure erit nulla, cum eo ipſo judex cenſeatur contra eas judicaſſe, *d. l. 1. §. item, ff. quæ ſent.* ſi vero proferatur contra poſteriores, veluti ſi judex ita dixerit: " Titius altius ſtatuto a legibus modo ædes ſuas potuit erigere; *vel*, Judico rem minoris alienari potuiſſe; " ſententia valet. Ratio eſt, quia cum juxta ſupra tradita poſſit dari caſus, in quo legis prohibitio ceſſet, in dubio præſumitur judicem de eo ſenſiſſe: celebris gloſſa *in l. 2. C. quando provocare.* Unde cum dicta prohibitio, ne decuriones ad beſtias damnentur inconſulto Principe, aliquando ex certis circumſtantiis ceſſare poſſit, videlicet quando aliter tumultus populi ſedari nequit, vel cum agnoſcit judex juxta delicti gravitatem id conſentiente Principe fieri poſſe, *l. penult. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* ideo *in d. l. moris 9. §. ſed enim*, quia uno ex prædictis caſibus Decurio recte beſtiis ſubjici poterat, docetur, Præſidis ſententiam ipſo jure valere, per Principem vero retractari poſſe: regulariter autem Præſes debet Decurionem in carcere cuſtodire relatio-

latio-

lationе ſententiæ facta Principi, *l. Divi 27. ff. de pœnis*; & interim ſententia in pendenti eſt, ut etiam contingit cum a Præſide, qui deportandi jus non habet, *l. inter 6. §. 1. ff. de interdict. & relegatis*, deportandus aliquis adnotatur, & ad Principem mittitur; nam ita damnatus proprium ſtatum, & conditionem retinet medio tempore, dum Imperator non reſcribit, *d. l. ſi quis filio 6. §. ejus, ff. de injuſto, l. 1. §. deportatos, ff. de legat. 2.* docuit Pinellus *d. c. 19. num. 15.*

13 Exponitur l. 7. §. ad tempus, ff. de interd. Secundo adverſatur textus *in l. relegatorum 7. §. ad tempus, ff. de interd. & releg.* in illis verbis: " Sic tamen ut non infirmarentur ſententiæ, quæ ita ſunt prolatæ. " Ex quibus conſtat, ſententiam prolatam contra reſcripta, & conſtitutiones Principis ipſo jure valere, cum notum ſit, quod omne quod Principi placuit, legis habet vigorem, *l. 1. ff. de conſtit. Princip.* & ita ſententiam contra conſtitutiones prolatam, ipſo jure nullam eſſe, *d. l. ſi expreſſim, ff. de appell.* Pro cujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, reſcripta Principum ad privatorum preces conceſſa, ipſis tantum prodeſſe, *l. 1. C. de diverſ. reſcript.* inter alioſque jus non conſtituere, niſi eo animo concedantur, ut perennia ſint, *l. 2. Cod. eod. tit.* vel ſi ad juris declarationem emanaverint, aut in juris corpore clauſa ſint, alias reſcripta cum generaliter non promulgentur, jus non faciunt. Unde ſententia contra reſcripta lata, licet reprehendatur, non tamen ideo ipſo jure eſt nulla, ut docet Pinellus *d. c. 19. n. 16.*

14 Intelligitur l. cum prolatis 31. ff. hoc tit. Tertio opponi ſolet textus *in l. cum prolatis 31. ff. hoc tit.* ubi docetur, quod ſi judex pronuntiaſſet contra leges, putans cauſam agitatam per eas non juvari, ipſo jure ſententiam valere, indigereque appellationis remedio. Igitur quia ſententia contra expreſſas conſtitutiones prolata ipſo jure non improbatur. Cui difficultati omiſſo Accurſio ibi, dum pro illo verbo, *conſtitutionibus*, reponit *cognitionibus*: omiſſis etiam Bart. & Angel. *ibi*, qui pro conſtitutionibus accipiunt tantum conſtitutiones extravagantes. Reſpondendum eſt, aliud eſſe judicem pronunciare expreſſe contra leges, ſeu conſtitutiones, aliud ſententiam dicere contra leges, quæ tantum per ſimilitudinem adducuntur ad caſus propoſiti definitionem. Priori caſu ſententia nulla eſt ipſo jure, juxta ſupra adducta; ſecundo vero ſuſtinetur, cum eo caſu non cenſeatur directe contra leges judicaſſe, cum animum non habuerit eas contemnendi, directe enim pronuntiare contra leges, eſt de earum jure judicare: qui autem pronuntiat contra leges per ſimilitudinem adductas, non directe contra ipſas leges, ſed contra ſimilitudinem, & non de earum jure pronuntiat. Unde recte *in d. l. cum prolatis*, docetur, ſententiam contra leges per ſimilitudinem adductas ipſo jure valere. Proſequitur Pinellus *d. c. 19. num. 33.*

15 Adducitur l. qui teſtamento, ff. de excuſat. tut. Etiam opponi ſolet ſupra traditæ aſſertioni textus *in l. qui teſtamento 37. ff. de excuſat. tit.* in illis verbis, " Non tamen excuſatum eſſe propter vitium pronuntiationis. " Ex quibus deducitur ſententiam prolatam contra jus litigatoris, etiam non expreſſe contra leges, ipſo jure non valere. Igitur etſi non expreſſe contra jus ſententia dicatur, ipſo jure nulla eſt. Cui difficultati, omiſſis ſolutionibus, quas refert & refellit Pinellus *d. c. 19. n. 43.* dicendum eſt, in eo textu tantum dubitari, utrum ſi propoſita excuſatione legitima a tutore, qui etiam adjecit patruum legitimum tutorem eſſe impuberis, judex pronuntiaverit, *Si legitimum tutorem habenti tutor datus eſt, non eſt tibi neceſſaria excuſatio*; utrum ea forma pronuntiationis tutor datus obligaretur, vel excuſaretur? Et eum obligari, ſi tutor legitimus non aderat, aliqui aſſerebant; illum vero juxta mentem judicis excuſari, Scævolæ placuit; nec ea verba, *propter vitium pronuntiationis*, important ſententiam nullam eſſe, ſed tantum vitium in pronuntiatione adfuiſſe; quia cum Prætor deberet juxta petita a tutore pronuntiare eum excuſatum eſſe, tantum dixit, eum legitime datum non eſſe, ſi alius tutor non erat. Ex mente tamen Conſulti facile colligitur, tutorem illum excuſatum eſſe, ut docet Pinellus *d. c. 19. n. 49.*

16 Exponitur l. Æmilius 38. ff. de minor. Rurſus ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in l. Æmilius 38. ff. de minor.* in ultimis verbis, ibi: " Lex commiſſoria diſplicebat ei: pronuntiavit in integrum reſtituendo. " Ex quibus probare videtur, ſententiam latam contra legem valere. Igitur non recte aſſerimus, ſententiam prolatam contra ſacras conſtitutiones, ipſo jure nullam eſſe. Pro cujus difficultatis ſolutione Oſuald. *lib. 1. commentar. c. 8.* affirmat, in ejus textus ſpecie valere ſententiam, quia prolata fuit contra reſponſa prudentum, quæ vim legum olim non obtinebant, uſquedum per Valentinianum Imperatorem, *in l. unic. C. Theodoſ. de reſponſ. prudent.* ubi plura Gothofred. plenam firmitatem acceperunt. Sed hæc interpretatio ſuſtineri non poteſt, cum verius ſit, olim permiſſum fuiſſe prudentibus de jure reſpondere, ut refertur a Pomponio *in l. 2. §. his legibus, ff. de origine juris*. Unde juris conditores prudentes appellantur *in leg. nulla, C. de procurat. l. tabulis 36. ff. de ſtatulib. l. furioſi, C. de nupt. l. 1. C. de communi ſervo, l. ult. C. de legibus*. Atque inde etiam regulæ juris auctoritate, judicioque prudentum primum inductæ, nonnumquam conſtitutiones appellantur, *l. ſi ſervum 91. § ſequitur, & ſeq. ff. de V. O. l. 1. in princ. ff. de privat. delictis*: & cum ſua interpretatione leges extendere non poſſent, decreto opus eſſe dicebant. Illuſtre exemplum extat *in l. Salvius 6. de leg. præſt.* Non tamen omnia Prudentum reſponſa, vel interpretationes vim legis obtinebant, ſed illæ tantum, quæ paulatim utilitate ſuadente a populis approbatæ ſententiæ erant præmiſſis diſputationibus in Principum, aut Magiſtratuum auditoriis habitis; variæ enim olim erant Jureconſultorum ſectæ, de quibus Balduinus *in §. & poſt multum, Inſtit. de rer. diviſ.* D. Petrus Velaſco *de rixis Procul.* Ant. Auguſt. *l. 3. emendat. c. 4.* Quoties autem aliqua dubitatio oriebatur, inter ipſos conſtituebatur fori diſputatio, & quicquid poſt varias controverſias verius videbatur, id obtinebat, & tamquam jus receptum, ac conſtitutum obſervabatur, *l. vetus 68. ff. de uſufruct. l. penult. ff. de leg. 1. l. Gallus, ff. de liber. & poſth. l. 3. ff. de conjungend.* & patet ex Ulpian. Venul. & Triphon. libris, quos *Diſputatione fori*, inſcripſerunt: magiſque indicatur *in l. 78. §. penult. ff. de jure dot. l. 30. ff. de pact. dotal.* Vix vero evenire poterat, ut in foro reciperetur auctoritas ulla, niſi introducta tacito jam, iteratoque fere omnium Prudentum conſenſu fuiſſet, atque quadam conſuetudine corroborata; quæ conſuetudo tunc obtinebat vim maximam, cum contradictorio judicio firmata erat, *l. cum de conſuetudine, ff. de legibus*: ad quam conſuetudinis ſpeciem refert textus *in l. 36. 37. & 38. ff. de legibus*, Mela *miſcel. c. 4. n. 9.* qui recte poſt Ant. Auguſtinum *l. 1. emend. c. 3.* reprehendit Accurſium, qui *in d. l. cum de conſuetudine*, legit, *non contradicto*: docuerunt latius Fornerius *l. 2. rerum quotid. c. 3.* Guill. Marranus *de æquit. fol. 60.* P. Faber *in l. 1. ff. de juſt. & jure*, Amaya, *l. 2. obſerv. c. 2.* Oſualdus *l. 1. Donel. c. 8. lit. K, & L*, Parexa, *1. p. num. 5.* Briſſonius *lib. 3. de formulis*, Anguianus *l. 1. controv. 29. n. 6.* I. Dartis *in decret. ad diſt. 2.* Igitur nec contra reſponſa Prudentum jam pro legibus recepta pronuntiare licet. Hac igitur omiſſa ſolutione verius dicendum exiſtimo, textum *in d. l. 38.* procedere in Imperatore, qui ſententiam protulit contra pactum legis commiſſoriæ; quod illi diſplicuit, licet illud non improbaſſet, *l. 4. ff. de leg. commiſſ.* atque ita cum Imperator Antoninus per appellationem aditus, contra pactum legis commiſſoriæ pronuntiaſſet, quid mirum ut ſententia ipſa vires haberet.

Tandem obſtat ſupra traditæ aſſertioni textus *in leg. Seja egreſſa, ff. de tut. & curat. dat.* ubi cum Prætor ex inquiſitione tutorem dediſſet Sejæ puberi, quaſi impuberi, docetur neceſſariam non eſſe excuſationem, quia tutelæ datio ipſo jure nulla fuit: ſed in ea ſpecie non fuit expreſſus juris error in ſententia; & nihilominus ipſo jure nulla eſt: igitur ſive contra leges expreſſas, ſive contra jus litigatoris ſententia proferatur, nulla eſt. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, in ejus ſpecie ſententiam nullam fuiſſe, quia ea prolata fuit cum errore aperto, & notorio in facto: quo caſu ſententia etiam nulla eſt; etſi enim facti quæſtio in arbitrio ſit judicantis, quia arbitrari poteſt, quid ſit probatum; arbitrium tamen illud intelligitur eſſe boni viri, qui nonnunquam arbitrabitur verum eſſe quod evidenter, & manifeſto falſum eſt; ſiquidem ſi id faciat, jam vir bonus non erit, ac proinde non judex. In dubiis enim facti judicis eſt arbitrium, non item in notoriis: facti enim notorii, & manifeſti jus apertum, & notorium eſt, ut docet Vultejus *de jud. l. 4. c. 1. n. 17.* Unde cum *in d. l. Seja*, judex contra notorium factum puberi, ut impuberi tutorem dediſſet, ideo aſſeritur ipſo jure tutorem illum excuſatione non indigere. 17 Exponitur l. Seja, ff. de tut. & curat.

C A P U T II.

a Idem *Joanni Epiſcopo Ravennati*:

JUrgantium controverſias *b* celeri ſententia terminare, & *c* æquitati proculdubio convenit, & *d* rigori: quia ergo Vinlandus præſentium lator fraternitatis tuæ cognitionem implorat, Diaconum Gavinianum, contra quem ſe habere cauſam commemorat, fraternitas tua ad ſuum faciat accerſiri judicium, & amota dilatione, cauſæ veritatem ſubtili inquiſitione diſcutiat, & quæcunque juſtitiæ ordo dictaverit, ac tua fuerit ſententia definitum, & obſervare, & implere partes modis omnibus compellantur.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. c. 3.* & habetur textus hic *in regeſtr. epiſt. D. Gregorii, l. 2. indict. 10. ep. 28.* ex quo regeſtro inſcriptionem, & litteram hujus textus reſtituo. De Joanne Epiſcopo Ravennat. nonnulla notavi *in c. ſi quando 5. de reſcript.*

b *Celeri.*) Licet judex non debeat cum præcipitatione ſententiam proferre, cum judicium actus ſit collationis, juxta Cajetanum *ad D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1.* & juxta Senecam *in Lucill.* ibi: " Ad pœnitendum properat, qui cito judicat. " In judicando criminoſa eſt celeritas. " Deus enim qui nequit errare, *Geneſis c. 18.* inquit: " Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis: deſcendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam. " Hinc Evariſtus

in c. Deus, 2. q. 1. inquit: " Deus omnipotens, ut nos a præcipitatæ ſententiæ prolatione compeſceret, cum omnia nuda, & aperta ſint ejus oculis, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, prius quam manifeſte agnoſceret, quæ dicebantur. " Non tamen judex differre debet prolationem cum magna litigantium injuria, *c. ſicut 2. q. 1.* ne lites faciat immortales, contra ea quæ adduximus *in c. finem, de dolo & contum.* cum præcipua Reipublicæ ſalus ſit lites finire, *l. minoribus 6. ff. de minor. l. Labeo 3. §. 1. ff. de receptis, leg. ult. ff. pro ſuo.* Debet ergo judex, ſi delegatus eſt, cauſam terminare intra tempus a delegante præſcriptum, ut probavi *in c. de cauſis 4. de offic. deleg.* Si vero ordinarius eſt, intra tempus a jure ſtatutum, *l. ult. C. de jure Fiſci, lib. 10. l. properandum 13. C. de jud. l. ult. C. ut intra certum tempus, l. generali 54. C. de Decur. lib. 10.*

5 c *Æquitati.*) Imo æquitas rigori, & ſummo juri opponitur, *l. placuit 8. C. de jud.* ubi Cujacius, *l. epiſtola 52. §. ult. ff. de pactis, l. ſi ex duobus 32. §. ſed & ſi plures, ff. de peculio, l. 1. ff. de legib. l. ult. ff. de edendo, l. nemo 13. C. de ſent. & interl.* cum aliis. Ergo non poteſt ſimul convenire æquitati, & juris rigori celeritas in finiendis litibus. Pro cujus difficultatis ſolutione varias æquitatis acceptiones, & definitiones congeſſerunt repetentes in præſenti, & Bonacoſa, & Guillelm. Maranus *in tract. de æquitate*, Vviſemb. *diſp. 2. de æquitate*, P. F. Valens *in concord. jur. tit. 2. ſect. 4. fol. 49.* Bocerus *tom. 1. diſput. claſſ. 1. diſp. 4.* Naten. *in inſtit. vulner. fol. 227.* inter quas illa præcipua differentia agnoſcitur, quæ aſſignatur ab Ariſtotele *lib. 1. Rhetor. c. 13.* qui æquitatem ita diviſit, ut quædam æquitas ſit, quæ conſiſtit in æquitate publica; quædam quæ conſiſtit in manſuetudine. Æquitas publica non differt a juſtitia, imo æquitatis, & juſtitiæ voces eodem ſenſu accipiuntur, & ut ſynonyma ſæpe conjunguntur, *d. l. placuit 8. l. Dominus, in fine, ff. de condict. indeb. l. ea quæ 129. §. 1. ff. de R. J. l. 1. C. Theod. de fide inſtrum.* apud Ciceronem *lib. 1. de legib.* & *Philip. 9.* de Servio Sulpitio agens ait: " Neque enim magis juris Conſultus quam juſtitiæ fuit: itaque quæ proficiſcebantur a legibus, ad facilitatem, æquitatemque referebat. " Et *lib. 3. ad Herrenium*, juſtitiam definit æquitatem jus cuique tribuentem pro dignitate cujuſque: apud Horatium *in art. poet.*

—— *Juſti prope mater, & æqui.*

Unde jus definitur Ars boni, & æqui, *l. 1. ff. de juſt. & jure*: & judex, cujus officium eſt jura regere, *l. 2. §. poſt 7. ff. de orig. jur.* jus ad æquitatem dirigere, eam ante oculos ſemper habere debet, *l. 3. C. qui bonis cedere, l. in omnibus 9. ff. de R. J.* imo quod melius, æquius, *l. 1. §. ſed neque 4. C. de veteri jure*. Quoniam ea demum vere juſtitia eſt, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſſiore repetitione, *l. bona 31. ff. depoſiti*: æquitas vero manſuetudinis eſt, per quam diſceditur a verbis legis; quam ſi ſectentur judices, ſpretis diſpoſitionibus, pernicioſe errant, ut dicitur *in l. ſi ſervum 91. §. 3. ff. de V. O.* Quare Conſtantinus ſanxit, facultatem decernendi de hac æquitate tantum Principi competere, *l. 1. C. de legibus*, ubi plura Giphanius. Alia etiam eſt æquitas interpretationis, ſicut enim jus civile ſolet jus gentium temperare præceptis poſititiis, & ad ſuæ civilitatis utilitatem accomodare, ſalva æquitatis ratione, idque ex jure gentium, voluntate, & ductu: ita quoque interpretatio ipſum jus civile ad temperamentum æquitatis ex utilitate civilitatis, ſalva legis auctoritate deducere conſuevit. Nam ſicut jus gentium non poteſt ſingulorum locorum utilitatibus quadrare, & convenire, niſi ope juris civilis; ſic nec jus civile ſingulis caſibus proſpicere, niſi ope interpretationis: quæ interpretatio æquitas, ſeu juſtitia frequenter in jure appellatur, ut *in d. l. placuit*, & aliis ſupra expenſis. De prima vero æquitate intelligendus eſt Gregorius in præſenti, ut docuit Morla *in empor. tit. de legibus, q. 10. in fine.*

4 d *Rigori.*) Rigor aliquando ſumitur pro duritia alicujus rei: qua de cauſa ſolemus dicere, fieri rigorem, & in hoc ſenſu jus rigoroſum importat jus aliquod durum, quod ex aliqua juſta cauſa conſtitutum eſt, de quo agi videtur *in c. memoriam, verſ. Et licet, 19. diſt.* aliquando ſumitur in malam partem, & in hoc ſenſu idem eſt dicere rigorem juris, ſeu jus rigoroſum, de quo agitur *in c. ſi quando 8. de reſcr. c. cum teneamur, de præb.* Aliquando etiam ſumitur rigor pro illa concluſione, quæ colligitur ex jure aliquo, refragante mente legiſlatoris, veluti quando ad terrorem aliquid ſtatuitur, ſtante in contrarium legiſlatoris mente, ut colligitur *ex c. ſi quis Epiſcopum 2. quæſt. 3. c. de his, c. hac ratione 31. quæſt. 1.* & regulariter ſimilis rigor opponitur æquitati, *c. in litteris, de reſtit. ſpol. juncta l. 1. in princ. ff. de vi, & vi*: explicant Donellus *lib. 26. commentar. c. 2.* Fachineus *lib. 1. controverſ. c. 3.* Connanus *lib. 1. commentar. c. 11. per totum*: plures congeſti a Genoa *in conciliat. legum, pag. 851.* Rigor igitur in præſenti accipitur pro ſummo jure legibus comprehenſo, videlicet *in l. Prætor, §. qui autem, ff. de vacat. & excuſ. muner. l. Pomponius, §. ult. cum ſequenti, ff. de receptis, l. 3. C. de pedaneis*, & aliis congeſtis per Donellum *l. 26. commentar. c. 1.* ubi ſtatuitur, Præſidem debere compellere judicem, ut ſententiam proferat: Unde Gregorius in præſenti ait, jurgantium controverſias celeri ſententia terminare, rigori, videlicet prædictis juris ſanctionibus convenire, & æquitati ſimul, quæ dictat, quod alienum eſt, ſtatim eſſe reddendum.

COMMENTARIUM.

5 Concluſio probatur. EX hac Gregorii Decretali ſequens deducitur communiter aſſertio: " Lites debent celeriter terminari. " Probant eam textus *in c. ſicut 2. q. 1. c. finem, c. fin. de dolo & contum. c. nonnulli, verſ. cum autem, de reſcript. Clement. diſpendioſam, de judic. c. conſtitutis, de procurat. l. litibus, §. litibus, C. de agric. lib. 11. leg. properandum, C. de judiciis, l. quidam, ff. de rebus creditis.* Illuſtrant Cujacius, Balboa, Barboſa, & Fermoſinus *in præſenti*, Covarr. *in c. quamvis, 2. p. §. 1. num. 4. de pactis lib. 6.* Guttierez *de juram. p. 3. c. 5. a n. 3.* Maranta *de ordin. judic. 5. p. n. 5. & 14.* Vantius *de nullit. titul. ex defectu juriſd. ordin. ex n. 126.* Paz *in praxi, in init. annot. 2. n. 11.* Aſin. *eod. tract. c. 3. n. 22.* Tuſchus *tom. 4. litt. I, concluſ. 202.*

Sed hæc aſſertio difficilis redditur pluribus utriuſque juris teſtimoniis, in quibus celeritas in actibus humanis, præcipue in ſententia ferenda, & cauſis terminandis, improbatur. *In c. ult. de elect. l. 6.* reprobatur electio, & confirmatio celeritate facta. Circa ſententiam ita ſanxerunt Imperatores *in l. 2. C. de ſent. ex periculo*, ibi: " Hac lege perpetuo credimus ordinandum, ut judices, quos cognoſcendi, & pronuntiandi neceſſitas tenet, non ſubitas, ſed deliberatione habita poſt negotium ſententias ponderatas ſibi firment. " Idem jure canonico etiam in ſententiis a ſupremis Principibus ferendis, & exequendis ſtatutum legimus *in c. Apoſtolica 35. q. 9. c. cum apud Theſſalonicam 11. q. 3. c. Deus omnipotens, 2. q. 1.* ubi jubet Pontifex exemplo Dei omnipotentis, ne ſententia feſtinanter, nec celeriter abſque maturitate judicii proferatur. Et auctoritatem tutoris feſtinanter non eſſe interponendam, probatur *in leg. tutor, §. 1. ff. de adminiſtr. tut.* & ſimiliter decretum pro rebus minorum alienandis, celeriter non eſſe interponendum, docetur *in l. magis puto 5. §. non paſſim, ff. de rebus eorum.* Accedit, nam ſi judex celeriter ſententiam dicat, non poteſt plene cauſæ merita diſcutere, & examinare, *c. miramur, 61. diſt.* ſed judex ad proferendam ſententiam debet eſſe plene inſtructus in cauſa, & cauſa cognita ſententiam dicere, *c. judicante 30. q. 1. l. judices 9. Cod. de judic. l. de qua re, ff. eod. tit.* Ergo ſententia celeriter proferenda non eſt. 6 Impugnatur tradita aſſertio.

Qua difficultate oppreſſi Interpretes in præſenti varias interpretationes præſenti deciſioni aſſignarunt. Nonnulli differentiam conſtituunt inter jus civile, & canonicum, ita ut jura ſupra expenſa procedant jure civili attento; præſens vero textus jure canonico inſpecto procedat. Ita Gloſſa verbo *Triennii*, in fine, *in d. l. properandum*, ubi Jaſo *n. 27.* Covar. *in d. c. quamvis, §. 1. n. 4.* pro quorum interpretatione facit, quod licet jure civili pro prima inſtantia finienda certum tempus, hoc eſt triennium aſſignatum ſit, *dict. l. properandum*; tamen jure canonico pro prima inſtantia terminanda nullum tempus præſcriptum eſt, ut probavi pro interpretatione textus *in c. penult. de judiciis, in c. de cauſis 4. de offic. deleg.* etſi quoad ſecundam appellationis inſtantiam biennium aſſignetur *in c. cum ſibi 5. de appell. c. ex ration. 8. eod. tit. in 6.* Trident. *ſeſſ. 24. de reform. c. 20.* Unde quid mirum concludunt Gloſſa, & Jaſo, ſi pro prima inſtantia finienda celeritas commendetur in hoc textu, ne alias lites fiant immortales. Verum hæc interpretatio facile refellitur, primo ex juris canonici teſtimoniis, in quibus celeritas in ſententia proferenda improbatur. Secundo ex eo, quia ſicut jus canonicum intendit lites finire, *d. c. finem litibus*, ita & jus civile optat ne lites fiant immortales, *d. l. properandum*: unde æqualis celeritas in ſententiis dicendis utroque jure ſtatuta eſt. Alii exiſtimarunt, in præſenti non tantum juberi ſententiam celeriter proferri, verum proceſſum ipſum judiciali ordine feſtinanter eſſe formandum. Verum hæc interpretatio repugnat verbis textus: ibi; *Clerici ſententia*. Quæ verba, attenta ſermonis proprietate, nihil aliud reſpiciunt, quam ipſam judicis pronunciationem. Accedit, nam celeritas in cauſis terminandis, quæ injungitur in hoc textu, reſpicit judicem: ſed celeritas in formando proceſſu pendet potius ab ipſis litigatoribus, qui dilationibus poſſunt cauſæ cognitionem, ac concluſionem differre, vel retardare: igitur præſens textus non ad ipſius cauſæ cognitionem, ſeu proceſſus formationem, ſed ad ſententiæ prolationem referendus eſt. 7 Hujus textus variæ interpretationes.

His ergo ſententiis omiſſis, pro vera hujus textus interpretatione, & ſolutione difficultatis ſupra expenſæ, dicendum eſt, verbum, *celeri* ſeu *celeriter*, & ſimilia, veluti *modo, continuo, ſtatim, incontinenti*, non ſemper eamdem temporis moram importare, ſed aliquando majorem, aliquando minorem, prout convenit, conſentaneumque eſt materiæ, de qua agitur; nam leges his terminis utentes neceſſario intelligendæ ſunt ſervatis ſervandis, hoc eſt de illa celeritate, quæ medium tenet inter duo extrema vitioſa, videlicet præcipitationem a parte antea, & tarditatem ſuperfluam a parte poſt: & ita de illa, quæ conjungitur prudentiæ, qua inſpecta, oportet celeriter agere illa de quibus conſilium, ſeu deliberatio ſufficiens præceſſit, juxta doctrinam D. Th. *2. 2. q. 47. ar. 9.* Unde cum prudentia dictet, certam rem majorem, aliam minorem moram requirere, prout fuerit conſentaneum materiæ, de qua agitur, inde major, aut minor deliberatio deſideratur: unde celeritas in hoc textu non importat præcipitationem, quæ ſacris canonibus ſupra relatis damnata eſt, ſed abjectionem, ſeu negationem moræ, ita ut congruo tempore judex legitime inſtructus debeat ſententiam ferre: quod tempus jure noſtro regio præfinitum eſt *in l. 1. tit. 17. lib. 4. recopil.* ita ut judex parte petente teneatur ſententiam interlocutoriam intra ſex dies, definitivam vero intra viginti proferre. 8 Traditur vera interpretatio.

Adhuc præſenti aſſertioni obſtat textus *in l. properandum, Cod. de jud.* in illis verbis: *Ne ultra triennii metas.* Ex quibus aperte deducitur, ultra triennium inſtantiam judicii protrahi, ſeu differri non poſſe, ſed intra illud tempus debere decidi, & ter- 9 Exponitur l. properandum C. de jud.

terminari. Igitur fruſtra celeritas in dicendis ſententiis a Gregorio in præſenti commendatur, ſiquidem jam tempus præſcriptum erat, intra quod fieri prima inſtantia debet, ut etiam ſecundæ inſtantiæ appellationis biennium aſſignatur in authentica *Ei qui*, *C. de tempor. appell. c. cum ſit 5. c. ſuper eo, c. oblata 57. de appel.* Pro cujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, triennium illud nova Juſtiniani conſtitutione ſtatutum fuiſſe *in d. l. properandum*: nec contrarium probatur *in l. ſi judex, ff. de jud.* in illis verbis: *Ita tamen ut legitimum tempus non excedat.* Quæ verba Triboniani eſſe reſpicientis *ad d. l. properandum*, docuit Donellus *lib. 26. comment. c. 1. ad finem.* Nam reſpondetur ea verba, non ad triennium a Juſtiniano ſtatutum eſſe referenda, ſed ad tempus aliud, intra quod ſæculo Ulpiani ſententia dicenda erat; jure vero canonico nullum tempus quoad primam inſtantiam finiendam præſcriptum fuit, ut jam probavi *in c. de cauſis 4. de offic deleg.* Unde cum ſacris canonibus ſtatutum non reperiretur aliquod tempus, intra quod judex teneretur ſententiam proferre, ideo Gregorius in preſenti celeritatem judicibus in cauſarum deciſione commendat: & ſi daremus triennio illud a Juſtiniano ſtatutum jure Pontificio procedere, non ideo præſens Gregorii conſtitutio ſuperflua eſſet, ſiquidem Juſtinianus prohibet, ne ultra tempus illud protrahatur primæ inſtantiæ deciſio: prohibetur autem judici intra illud celerius cauſam terminare. Eodem modo intelligendus eſt textus *in l. fin. Cod. intra certum tempus*; ubi aperte docetur cauſas criminales intra biennium eſſe decidendas, nihil enim vetat celerius cauſas ipſas decidere, ut jubetur *in l. cum eis 28. Cod. de pœnis, l. 1. Cod. de cuſtod. reor. l. ſi vindicari, Cod. de pœnis.*

10 Deinde ſupra traditis obſtat textus *in c. cum ex litteris 5. de in integr. reſtit.* in cujus ſpecie quia Eugenius Papa III. ſententiam celeriter dixit, in integrum reſtitutio parti contra eam conceditur. Igitur quia ſententia cum celeritate, aut feſtinanter proferri non debet. Pro cujus difficultatis ſolutione communiter repetentes in hoc textu quærunt, utrum ſententia a judice non plene inſtructo ex præcipitatione lata valida ſit, vel nulla ipſo jure? Et negativam ſententiam, ideſt ſententiam non valere, tenuerunt Abbas in præſenti, *num. 5.* Gloſſa finalis, & Baldus *in l. prolatam 10. de ſent. & inter.* pro quorum opinione faciunt textus *in l. ex ſtipulatione 7. C. de ſentent. & interlocutionibus, l. 2.* ibi, *ſubditas, C. de ſentent. ex periculo.* Facit etiam, quia licet judex debeat celeri ſententia controverſias terminare ex hoc textu, nihilominus tamen nimia celeritas, ideſt præcipitatio, quæ neceſſariam inſtructionem tollit, omnino improbatur in juris locis ſupra pro dubitandi ratione expenſis: ac proinde deficiente neceſſaria cauſæ inſtructione, ſententia nulla eſt, *c. ad audientiam 34.* ibi: *Sine cauſæ cognitione*, junctis illis verbis: *Denunties non tenere, de appellationibus.* Accedit etiam, quia ſententia prolata contra ſolitum judiciorum ordinem, ipſo jure nulla eſt, *c. ei qui, §. definitiva, 2. q. 6.* ſed inſtructio cauſæ præcipua pars eſt ordinis judiciarii, *c. judicante 30. q. 5. l. judices, C. de judic.* Igitur abſque ea ſententia prolata ipſo jure nulla eſt. Contrariam ſententiam, videlicet ſententiam etiam ex præcipitatione prolatam valere, tenuerunt Innocentius, Felinus, & alii congeſti a Hieronymo Gabriel. *commun. opinion. tit. de re judic. concluſ. 6. n. 5.* moti auctoritate textus *in d. c. tam ex litteris 5.* ubi cum reſtitutio in integrum concedatur contra ſententiam ſine plena cauſæ inſtructione, & cognitione prolatam, ſupponitur ipſo jure valuiſſe, *ex l. in cauſa, ff. de minor.* Pro quarum opinionum conciliatione, & textus *in d. c. 5.* expoſitione, diſtinguendum eſt. Vel enim brevitas temporis adeo aperta eſt, ut ex illa, & aliis circumſtantiis manifeſte colligatur, judicem omnino ignarum de meritis cauſæ, & abſque ulla inſtructione ſententiam dixiſſe: vel intra aliquod tempus, breve tamen, judex ſententiam pronuntiavit. Primo caſu cum omnino ex abrupto ſententiam dixit, ea ipſo jure nulla eſt. Secundo vero caſu, cum aliquantulum, licet non plene inſtructus, ſententiam dixit, illa ipſo jure valet, & ſuſtinetur, licet contra eam reſtitutio concedatur, eo quod adeſt præſumptio in juſtitia, dum judex minus ſufficienter inſtructus illam protulit; quo caſu procedit textus *in d. c. 5.*

Exponitur c. cum ex litteris 5. de in integr. reſtit.

C A P U T III.

Idem *Natali* a *Salonitano Epiſcopo*.

CUM cuncta negotia indagandæ ſolicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem ſacerdotalium graduum pertinent, diſtrictius ſunt trutinanda: in quibus non tam de humanis conſtitutis, quam divinæ quodammodo benedictionis refragatione tractatur. Quæ res quoque nos in Florentii *b* Epidauritanæ civitatis Epiſcopi perſona ad exhortationem veſtræ fraternitatis admonuit. Nuntiatum ſiquidem nobis eſt, a quibuſdam fuiſſe eum in cauſis criminalibus accuſatum; & nullis canonicis probationibus exquiſitis, nec ſacerdotalis conſilii præveniente judicio, cum ab honoris officio, non jure, ſed auctoritate depoſitum. Quia ergo non poteſt unquam Epiſcopatus gradu, niſi juſtis ex cauſis, concors *c* ſacerdotum ſubmovere ſententia; hortamur fraternitatem veſtram, ut præfatum virum ex eodem, in quod detruſus eſt, ejici faciatis exilio, cauſamque ejus Epiſcopali diſceptatione perquiri. Et ſi in his, in quibus accuſatur, canonica fuerit probatione convictus, canonica proculdubio eſt ultione plectendus. Quod ſi alias quam de eo æſtimatum eſt, ſynodali fuerit inquiſitione compertum, neceſſe eſt, ut & criminatores juſti diſtrictionem juris exhorreant, & in criminato innocentiæ ſuæ ſerventur illibata ſuffragia. Executionem vero antefati negotii Antonio Subdiacono noſtro ex noſtra perceptione *d* mandavimus, quatenus ejus inſtantia, & quæ ſunt legibus, canonibuſque placita, decernantur; & decreta, juvante Domino, mancipentur effectui.

N O T Æ.

1 a *SAlonitano.*) In prima collectione, *ſub hoc tit. c. 4.* legitur *Salernitano*, ſed perperam, cum in regeſto epiſtolarum D. Gregorii *lib. 2. indict. 11. epiſt. 8.* legatur *Salonitano*, ex quo regeſto textum hunc cum ſua epigraphe ita reſtituo. Salona Metropolis tertia eſt Illyrici Occidentalis, ut docet Zoſimus Pontifex epiſtola canonica, quam ad Heſychium Salonitanum Præſidem ſcribit, præcipiens illi, ut Apoſtolica decreta ceteris Epiſcopis propriæ Provinciæ denuntiet, quod munus proprium eſt Metropolitani: clarius tamen id teſtatur Gregorius noſter *lib. 4. indict. 13. ep. 53.* dum ad Epiſcopos per Illyricum ſcribens ait, ſe Joanni Epiſcopo Salonitano pallium dirigere, ſeque illi vices ſuas committere: Verba ſunt: „ Ratamque nos ejus conſecrationem habere dirigentes pallium judicamus. Cui quoniam juxta morem noſtras vices commiſimus peragendas, ideo fraternitatem veſtram neceſſario prævidimus adhortandam, quatenus ei in his, quæ ad ordinem Eccleſiaſticum, rectitudinemque pertinent diſciplinæ, ſive in aliis, quibus canonica decreta non obſtant, parere nullo modo differatis. „ Quis enim Joannem illum Metropolitanum fuiſſe, ex his verbis non agnoſcit, cum ſolis Metropolitanis obedire mos eſſet Epiſcopis in his, quæ ad obſervationem canonum, ordinemque Eccleſiaſticum ſpectabant. Sed quod ante eum jam Natalis ejuſdem civitatis Epiſcopus etiam Metropolitani actoritate frueretur, patet ex præſenti epiſtola, qua ſcribit D. Gregorius Florentinum Epidauritanæ civitatis Epiſcopum ab hoc Natali depoſitum fuiſſe. Nuſquam enim niſi a Metropolitano Epiſcopi antiquitus depoſiti leguntur. Fateor Gregorium in præſenti de Natali conqueri, quod Florentinum depoſuerit extra Concilium Epiſcoporum Provinciæ: at ex hoc, Natalem Metropolitanum non fuiſſe Salonæ, inferri nullatenus poteſt; ſed tantum abſque comprovincialium Epiſcoporum, hoc eſt Synodi provincialis ſententia non licuiſſe Metropolitanis ſuffraganeos Epiſcopos deponere. Unde cum in Concilio provinciali cauſæ criminales Epiſcoporum diſceptarentur, *cap. 2. 3. quæſt. 6. cap. unic. 4. quæſt. 5. cap. relatum 30. 5. quæſt. 2. cap. 1. 5. quæſt. 4. cap. 2. 6. quæſt. 3. cap. 2. de accuſat.* jam notavi *in cap. 1. verbo Interrogatus, de judic.* ideo in præſenti increpat Gregorius Natalem Metropolitanum, eo quod abſque Concilio Provinciali auderet Epiſcopum deponere, & in exilium mittere.

2 b *Epidauritanæ.*) Epidaurus, vulgo *Raguſa*, eſt in Dalmatia, in Illyrico Occidentali: olim habebat Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Salonitani, ut refert Carolus a ſancto Paulo *in Geograph. ſacra in Illyric. Occid. fol. 77.*

3 c *Sacerdotum.*) Ideſt Epiſcoporum ut docet Fermoſinus *in c. 4. §. de adulteris, q. 1. de judic.* agitur enim in præſenti de depoſitione Epiſcopi facienda per alios Epiſcopos in Concilio provinciali congregatos, ut olim fieri, jam notavi *in d. cap. 1. de judic.* & docet Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg. 112.* Unde non recte repetentes in præſenti late agunt de depoſitione, ſeu degradatione presbyteri, de qua etiam nos aliqua adduximus *in c. cum non ab homine 10. de judic.*

4 d *Mandavimus.*) Epiſtola ſequentis his verbis: (Pervenit ad nos, Florentinum Epidauritanæ civitatis Epiſcopum, prræreptis prius rebus ejus, pro quibuſdam non approbatis criminibus ſine ſacerdotali conſilio fuiſſe damnatum. Et quia non debet is pœnam ſuſtinere canonicam, in cujus damnatione non eſt canonica prolata ſententia, præcipimus experientiæ tuæ, ut Natali fratri & Coepiſcopo noſtro debeas imminere, quatenus ſupradictum virum de eodem ejici faciat, quo nunc dicitur detruſus, exilio. Convocatoque Epiſcoporum conſilio, ſi hæc, in quibus accuſatus eſt, canonice fuerint approbata, præfati Natalis fratris, & Coepiſcopi noſtri volumus in eum proprium robur obtinere ſententiam. Sin autem generali fuerit judicio abſolutus, nec eum deinceps cujuslibet præjudicio ſubjacere permittas, & præfatæ res diſtricta tuæ ſolicitudinis reſtituantur inſtantia. Neceſſe eſt ergo, ut quanto graviora talium negotiorum perpenderis pondera, tanto ea maturiori, vigilantiorique ſtudeas executione complere.

COM-

C O M M E N T A R I U M.

5 RETenta communi hujus textus interpretatione, videlicet Epiſcopum non poſſe ſine juſta cauſa, & conſilio ſacerdotum clericum deponere, pro ejus expoſitione ſciendum eſt, ad Epiſcoporum officium primo, & principaliter pertinere ſubditorum exceſſus inquirere, punire, & corrigere: eſt enim Epiſcopus græce idem atque obſervator, ſeu ſpeculator, quo ſenſu Epiſcopi dicuntur a Juriſconſulto *in l. munerum, §. item Epiſcopi, ff. de muner. & honor.* qui præerant pani, & ceteris venalibus rebus, ut obſervarunt Cujacius *lib. 27. obſerv. c. 29.* Duarenus *lib. 1. de ſacris, c. 7.* quaſi Epiſcoporum officium ſit, ut mores ſubditorum corrigant, & puniant: quo reſpicit Concilium Aquilejenſe 1. tempore Clementis Papæ celebratum, his verbis: „ Epiſcopos autem, quod in ſpecula dominus conſtituit, ut gladium venientem proſpicientes, tuba canerent, & populos monerent, ne ſanguis pereuntium de manibus eorum exquiratur. „ Aut etiam quia Epiſcopus idem eſt atque ſuperintendens, quaſi intendere debeat ſupra gregem ſuum, ut ſubditorum mores corrigat, ut probat Concilium Londin. ſub Gregorio IX. celebratum, *§. Quod ad venerabiles*, ibi: *Quod ad venerabiles Patres, Archiepiſcopos, & Epiſcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quod eſt Epiſcopus, ideſt ſuperintendens, exprimit evidenter, intendere quippe habent, & ſupra gregem ſuum.* Quare Epiſcopus debet inquirere de ſubditorum moribus, ut conſtat ex canone 22. Hadriani Papæ, qui perperam refertur ex Synodo Romana a Gratiano *in cap. ſi quis Epiſcopus 2. q. 7.* & obſervat Ant. Auguſtinus *in d. can. 22.* & probant textus *in c. viſis, 16. q. 2. c. ult. de offic. Archipresb. c. cum ex injuncto, de heret.* late illuſtrant Germonius *lib. 1. animadv. c. 9.* Alciatus, & Fileſacus *in c. 4. de offic. ordin.* ubi plura congeſſi.

6 Sed quamvis poteſtas hæc inquirendi, corrigendi, & puniendi exceſſus in ſubditos principaliter jure communi ſpectet ad Epiſcopos, jure tamen antiquo ipſi ſoli per ſe illam non poterant exercere, ſed ſimul ſuorum ſeniorum, ſive clericorum debebant conſilium, ſeu conſenſum adhibere; quod primum ſtatutum legimus in Concil. Carthag. 4. *can. 23.* in illis verbis: *Et Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum, alioquin irrita erit Epiſcopi ſententia, niſi clericorum præſentia confirmetur.* Quæ retulit Gratianus *in c. Epiſcopus 15. q. 7.* Quod recte ſtatuitur Concil. Carthaginenſi: *Ne quis forte dum ab uno judicatur, non auctoritate canonica, ſed potius tyrannica poteſtate indiſcuſſus judicaretur.* Quam rationem expreſſit Concil. Hiſpal. 2. *can. 6.* ibi: *Ut juxta priſcorum Patrum ſynodalem ſententiam nullus noſtrum ſine Concilii examine quemlibet Presbyterum, vel Diaconum dejicere audeat; nam multi ſunt, qui indiſcuſſos poteſtate tyrannica, non auctoritate canonica damnant.* Extat *in c. 1. 15. q. 7.* Quid autem per illa verba, *Abſque præſentia ſuorum clericorum*, in Carthaginenſi Synodo intelligatur, expoſitione indiget. Duarenus *lib. 1. de ſacris, c. 1.* exiſtimavit clericorum nomine Epiſcopos ſignificari, qui ab Epiſcopis Synodi cauſa quotannis convocabantur, juxta textum *in c. annuis, 18. diſt. c. ſicut*, ubi dicemus, *de accuſat.* Sed perquam durum eſt affirmare, ad quamcumque cauſam terminandam Synodum congregari debere. Quare potius credo per illa verba intelligi Capitulum, ſeu Canonicos ipſius Eccleſiæ, quod mihi aperte probat D. Hieronymus *in epiſt. ad Ruſticum*, cujus fragmentum extat *in c. Eccleſia 16. q. 1.* ubi de Capitulo, ſeu Canonicis agens, presbyteros ſuos ſanctos appellat, quemadmodum & Concil. Carthag. clericos ſuos. Verba S. Doctoris hæc ſunt: „ Eccleſia habet Senatum, cœtum presbyterorum, ſine quorum conſilio nihil monachis agere licet. Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum, quia noluit audire presbyteros ſuos. Senatum quoque Romani habebant, cujus conſilio cuncta agebant: & nos habemus Senatum noſtrum, cœtum presbyterorum. „ Deinde cur in dicto Concil. Carthag. ſententia irrita dicatur, quæ prolata fuit abſque presbyterorum conſilio, res perdifficilis eſt. Aliqui exiſtimarunt, hoc ideo eſſe ſtatutum, quia ipſum Concilium, ſive Capitulum, habet juriſdictionem ordinariam ſimul cum Epiſcopo, *c. ſcitote 6. q. 3.* & ideo quemadmodum abſente uno ex judicibus ſententia ab alio prolata nulla eſt, *l. ſi duo ex tribus, ff. de re judic.* ita etiam ſi Epiſcopus irrequiſito Capitulo ſententiam dixerit, eam nullam eſſe affirmant. Alii rectius docent, quod Capitulum, ſeu illi qui ſunt de Capitulo, Epiſcopi aſſeſſores ſunt. Aſſeſſores enim plerumque Conſiliarii dicuntur, *l. Conſiliarios, ff. de offic. aſſeſſ.* & ſententia ſine ipſis aſſeſſoribus lata, nulla eſt, ſicut ſententia contra Fiſcum lata abſente Fiſci Advocato, *l. ſi Fiſcus, de jure Fiſci*: & in ſpecie textus *in l. cum ſententia, C. de ſententia, & interlocut.* docuerunt Gloſſa, & Archidiac. & Turriſcrem. *in c. Epiſcopus 15. q. 7.* Nec obſtat, quod alias non tenetur quis ſequi conſilium alterius, ut conſtat *ex l. 2. §. ult. ff. mandati.* Nam regula hæc non procedit in judicibus, qui cum aſſeſſoribus procedunt, quorum conſilium petere, & ſequi debent. Eamdem Concilii Carthaginenſis conſtitutionem confirmavit Gregorius noſter in epiſtola ad Joannem Epiſcopum Panormit. cujus fragmentum extat *in c. ſi quid vero, 86. diſt. c. ſi quid vero 15. q. 7.* ubi qui illis verbis, *Præſentibus ſenioribus Eccleſiæ tuæ*, intelligantur, non conſtat apud Interpretes. Gloſſa *in d. c. ſi quid, 86. diſt.* exiſtimavit, ſeniorum nomine in eo textu Epiſcopos ſuffraganeos ſignificari, quia epiſtola illa miſſa eſt Joanni Panormit. Archiepiſcopo, quem ſuffraganeos habere conſtat ex traditis *in c. 4. de elect.* Aliter Duarenus *lib. 1. de ſacris Eccleſ. miniſtr. c. 7.* accipit verba illa de presbyteris propriæ diœceſis, ſeu de Capitulo, quaſi dicat Gregorius, non poſſe Epiſcopum ſine Capituli conſenſu procedere ad inquiſitionem, & vindictam exceſſuum in clericos proprios. Quam explicationem magis probaſſe videntur poſteriores Romani Pontifices, ſcilicet Innocentius III. *in c. qualiter 35. de accuſat.* ubi dum formam inquirendi delicta præſcribit Epiſcopis propriis, ait: „ Debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari. „ Et in *c. licet Heli 21. de ſimonia*, ibi: „ Sed coram Eccleſiæ ſenioribus diligenter eſt veritas perſcrutanda. „ In quibus juribus dum ejuſdem verbis Gregorii utitur Innocentius, pro ſenioribus presbyteros intelligit, non Epiſcopos: quare exiſtimabam, utramque explicationem, & acceptionem admittere verba Gregorii, quia ſeniorum nomine non tantum Epiſcopi; verum etiam presbyteri continentur juxta etymologiam ex D. Iſidoro relatam *in c. cleros, §. presbyter 21. diſt.* ibi: *Presbyter græce, latine ſenior interpretatur.* Unde & apud veteres inquit Iſidorus, iidem Epiſcopi, & Presbyteri fuerunt. Quo ſenſu intelligitur textus *in c. 1. de cenſibus*, in illis verbis: *Senioribus debitum ſervitium impendant.* Illud etiam obſervo, quod ſi textus *in d. c. ſi quid vero*, accipiatur juxta tempora ſui auctoris, non tam de Capitulo accipiatur, quam de Concilio, quod Epiſcopi per annum celebrant: nam cum loquatur de clerico damnato, ibi, *De quocumque clerico*; utique eo tempore clerici non a propriis Epiſcopis, & Capitulo damnabantur, ſed potius a Concilio cum Epiſcopo, ut conſtat ex dicto Concilio Hiſpal. 2. *can. 6.* Concil. Carthag. 2. *can. 10.* Carthag. 3. *can. 8.* Sed poſtquam modus ille cognoſcendi de cauſis clericorum in Conciliis ceſſavit, verba illa, *Senioribus præſentibus*, de Clericis Capituli Innocentius accepit: Unde provenit nec etiam hodie poſſe Epiſcopum abſque conſenſu Capituli ſententiam interdicti, aut ceſſationis proferre, *c. 1. de exceſſ. Prælat.* Illud tamen recte obſervat Mendoza *lib. 3. Concil. Illiber. cap. 72.* in omnibus cauſis olim Epiſcopum abſque conſilio, & conſenſu Concilii procedere potuiſſe, tantum exceptis rebus gravioribus. Unde apparet, defendi poſſe communem hujus textus interpretationem, juxta quam Gregorius accipitur de damnatione ſacerdotis ab Epiſcopo ſine conſenſu, & conſilio ſacerdotum, ideſt Epiſcoporum in Concilio Provinciali, juxta morem receptum temporibus D. Gregorii, vel juxta integram epiſtolam ſupra relatam, de condemnatione Epiſcopi ab Archiepiſcopo in Synodo neceſſario facienda, juxta ſupra adducta.

C A P U T IV.

a Leo Papa.

EA, quæ juxta Eccleſiaſticum morem juſte, & rationabiliter fuerint definita, noſtra quoque ſententia roborentur.

N O T Æ.

a *LEo.*) *Epiſt. 77.* miſſa ad Epiſcopos Africanos per Mauritaniam Cæſareenſem conſtitutos, ubi reprehendit Sanctus Epiſcopos illius Provinciæ ob illicitas ordinationes Epiſcoporum & Sacerdotum: & cum inquiſitionem ſimilium exceſſuum committeret, atque delegaret Potentio Sacerdoti, in calce ipſius textus, poſtquam varia de reformatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Provincia illa ſanctus Leo retulit, ſcripſit ut ſi aliæ præter relatas, emerſerint cauſæ, quæ ad ſtatum Eccleſiarum, & concordiam pertineant ſacerdotum, inquirerentur, atque relatio earum ad Summum Pontificem mitteretur, ut quæ rationabiliter, & juſte a delegato, vel Prælatis Cæſareenſibus fuiſſent definita, Pontificia ſententia roborarentur. Unde non recte ex his verbis a Raymundo tranſcriptis omnes claſſici repetentes in præſenti deducunt, ſententias juſte in privatis cauſis etiam prolatas, debere per Pontificem confirmari, cum niſi ab eis fuerit intra legitimum tempus appellatum, poſtquam in rem judicatam tranſierint, perfectum robur obtineant; agit enim tantum Sanctus Leo de cauſis ad ſtatum Eccleſiæ, & ejus miniſtros ſpectantibus, a judice delegato, & Prælatis illius provinciæ definitis: & ait, ea, quæ juxta eccleſiaſticum morem juſte, & rationabiliter ſunt definita, ſententia quoque Romani Pontificis, ut plenum robur accipiant, debere communiri. Sic etiam Ivo Carnot. ad Paſchalem ſummum Pontificem *ep. 10.* ita ſcripſit: „ Quamvis quod ratio ſuadet, vel quod uſus approbat, vel Epiſcopalis moderatio diſponit, per ſe ſatis urgere videatur; tamen fit clarius, & quaſi luce quadam irradiatur, cum id decreto Apoſtolico roboratur. Eodem ſenſu Plinius lib. 10. epiſt. ad Trajanum Principem, ait: Quæ ſunt ab aliis inſtituta, licet ſint ſapienter indulta, brevia tamen, & infirma ſunt, niſi illis tua auctoritas contingat. „ Et hanc eſſe veram præſentis textus ſententiam, facilius apparebit ex lectione ipſius epiſtolæ, quam etſi diffuſam, in præſenti tranſcribere non injucundum judicavi: Cum de ordinationibus ſacerdotum quædam apud vos illicite uſurpata crebrior ad no

com-

commeantium ſermo perferret, ratio pietatis exigit, ut pro ſolicitudine, quam univerſæ Eccleſiæ ex divina inſtitutione dependimus, rerum fidem ſtuderemus agnoſcere, vicem curæ noſtræ proficiſcenti a nobis fratri, & conſacerdoti noſtro Potentio injungentes, qui ſecundum ſcripta, quæ per ipſum ad vos direximus, de Epiſcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobiſque omnia fideliter indicaret. Unde quia idem pleniſſime notitiæ noſtræ cuncta reſeravit, & ſub quibus, qualibuſcumque Rectoribus quædam Chriſti plebes in partibus provinciæ Cæſareenſis habeantur, ſincera nobis relatione patefecit: neceſſarium fuit ut dolorem cordis noſtri, quo pro Dominicorum gregum periculis æſtuamus, datis nunc quoque ad dilectionem veſtram litteris promeremus; mirantes tantum apud vos per occaſionem temporis impacati, aut ambientium præſumptionem, aut tumultum valuiſſe popularem, ut indignis quibuſque, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium, & gubernatio Eccleſiæ crederetur. Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere: nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum: & ubi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſacra eſt forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus, atque actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt pernicioſus exemplo. Et difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio. Quod ſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus providenter, ſcienterque curandum eſt, ut in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum: quanto magis elaborandum eſt, ut in electione ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur? nam totius familiæ Domini ſtatus, & ordo nunciavit, ut ſicut requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Ubi eſt illa beati Pauli Apoſtoli per Spiritum Dei emiſſa præceptio, qua in perſona Timothei omnium ſacerdotum Chriſti numerus eruditur, & proinde unicuique noſtrum dicitur: Manus cito nemini impoſueris; neque communicaveris peccatis alienis? Quid eſt cito manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, ſacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis eſt ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum ſectatur in eligendo ſacerdote judicium; ita gravi ſemetipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum, non enim in cujuſquam perſona prætermittendum eſt, quod inſtitutis generalibus continetur: nec putandus honor ille legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus. Dicente enim Apoſtolo, ut inter alias electionis regulas is Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtiterit; tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, ut etiam de muliere ſacerdotis eligendi eadem intelligatur ſervanda conditio, ne forte illa prius quam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuiſſet uxorem, alterius viri eſſet experta conjugium. Quis ergo diſſimulare audeat, quod in tanti ſacramenti perpetratur injuriam: cum huic magno, venerandoque myſterio, ne divinæ quidem legis ſtatuta defuerint, quibus evidenter eſt definitum, ut virginem ſacerdos accipiat, & alterius torum neſciat conjugis, quæ uxor eſt futura Pontificis? Jam tunc enim in ſacerdotibus figurabatur Chriſti, & Eccleſiæ ſpirituale conjugium: ut quoniam vir caput eſt mulieris, diſcat ſponſa Verbi non alium virum noſſe, quam Chriſtum, qui merito unam elegit, unam diligit, & aliam præter ipſam ſuo conſortio non adjungit. Si ergo etiam in veteri teſtamento hæc ſacerdotalium conjugiorum forma ſervata eſt, quanto magis ſub revelata jam gratia conſtituti, Apoſtolicis debemus ſervire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus præditus, & ſanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconi gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Epiſcopatus culmen aſcendat, ſi aut ipſum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuiſſe claruit? Monente vero Apoſtolo, atque dicente: Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent: quid aliud intelligendum in hoc putamus, niſi ut in his provectionibus non ſolum matrimoniorum caſtimoniam, ſed etiam laborum merita cogitemus, ne aut a Baptiſmo rudibus, aut a ſæculari actu repente converſis officium paſtorale credatur, cum in omni gradu militiæ Chriſtianæ de incrementis profectum debeat æſtimari, an poſſit cuiquam majora committi? Merito Sanctorum Patrum venerabiles ſanctiones, cum de ſacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos ſacris adminiſtrationibus cenſuerunt, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis uſque ad provectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet, ut unicuique teſtimonium prior vita præberet, nec poſſet de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro caſtis moribus, pro actibus ſtrenuis, celſioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi ſine ſuffragio temporis, ſine merito laboris indignum eſt pervenire, & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adjuvant: quam diligens, & quam prudens habenda eſt diſpenſatio divinorum munerum, & cœleſtium dignitatum, ne in aliquo Apoſtolica, & canonica decreta violentur, & his Eccleſia Domini regenda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcii, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed a ſummis volunt habere principium: cum valde iniquum ſit, & abſurdum, ut imperiti magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis. In domo quidem magna neceſſe eſt (ſicut Apoſtolus dixerit) ut vaſa diverſa ſint, quædam aurea & argentea, quædam vero lignea, & fictilia: ſed horum miniſterium pro materiæ qualitate diſcernitur: nec qui eſt pretioſorum, idem uſus eſt & vilium. Nam ordinata erunt omnia ſi fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis, & fictilibus eorum hominum ſpecies figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent: ita in aureis, & argenteis hi ſine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum, & argentum purum eſſe meruerunt. Quibus ſi merces pro devotione non redditur, omnis eccleſiaſtica diſciplina reſolvitur, omnis ordo turbatur: dum in Eccleſia, qui nullum ſubiere miniſterium, perverſo eligentium judicio indebitum obtinent principatum. Cum ergo inter vos tantum valuerint, aut ſtudia popularium, aut ambitus ſuperborum, ut non ſolum laicos, ſed etiam ſecundarum uxorum viros, aut viduarum maritos ad officium agnoſcamus paſtorale provectos, nonne aptiſſime exigunt cauſæ, ut Eccleſiæ, in quibus iſta commiſſa ſunt judicio ſeveriore purgentur, & non ſolum in tales Præſules, ſed etiam in ordinatores eorum ultro competens proferatur? Sed circumſtant nos, hinc manſuetudo clementiæ, hinc cenſura juſtitiæ. Et quia univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, cogimur ſecundum Sedis Apoſtolicæ pietatem ita noſtram temperare ſententiam, ut trutinato pondere delictorum, quæ conſtat non unius eſſe menſuræ, quædam definiamus utcumque toleranda, quædam vero penitus amputanda. Eos enim, qui vel ſecundas nuptias inierunt, vel viduarum ſe conjugio ſociarunt, nec Apoſtolica, nec legalis auctoritas ſacerdotium obtinere permittit: & multo magis illum, ſi fuerit veſtro judicio confutatus, qui (ſicut ad nos relatum eſt,) duarum ſimul eſt maritus uxorum; vel iſtum, qui a prima uxore dimiſſus, alteram duxiſſe perhibetur, privandum honore decernimus. Ceteros vero quorum provectio hoc tantum reprehenſionis incurrit, quod ex laicis ad officium Epiſcopale delecti ſunt, neque ex hoc, quod uxores habeant, poſſunt eſſe culpabiles, ſuſceptum ſacerdotium tenere permittimus: non præjudicantes Apoſtolicæ Sedis ſtatutis, nec prædeceſſorum noſtrorum, noſtriſque decretis, quibus ſalubriter ſtatutum eſt, ne primum, vel ſecundum, aut tertium in Eccleſia gradum quiſquam laicorum, quibuslibet ſuffragiis fultus aſcendat prius quam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim utcumque patimur eſſe veniale, inultum poſtmodum eſſe non poterit, ſi quiſquam id, quod omnino interdicimus, uſurpare præſumpſerit: quia remiſſio peccati non dat licentiam delinquendi; nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

CAPUT V.

Alexander III. a *Eborac. Epiſcopo*.

DE cetero noveris, quod ſi ſententiam a nobis latam præcipimus per aliquem executioni mandari & fraus intervenerit, non eſt facultas de toto negotio executori cognoſcendi: ſed referri quæſtiones, quæ inciderint, ad Sedem Apoſtolicam oportebit.

NOTÆ.

1 a EBorac.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. c. 7*, ubi adjicitur, *pars capitis In eminenti*; & recte, cum verba hujus textus reperiantur *in c. in eminenti* 40. *de appellat. in 1. collect.* ubi Eborac. Archiepiſcopo ita ſcribit Alexander: (In eminenti ſpecula Eccleſiæ, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, intendere debemus conſultationibus ſingulorum, & prout Dominus nobis revelaverit, propoſitas enodare. Conſuluiſti autem, ſi cauſa, appellatione remota, commiſſa, altera partium ante citationem, vel poſt ad Sedem Apoſtolicam appellaverit, an appellationi ſit in his articulis deferendum. Præterea, ſi cui cauſa fuerit, appellatione remota, commiſſa, & alter adverſariorum appellaſſet, quia delegatus judex non vult probationes ſuper ſuggeſtione falſi admittere, qua cauſatur litteras impetratas, an in hoc caſu appellatio teneat, quæſiviſti. Dubitas autem, ſi duobus fuerit cauſa, appellatione remota, commiſſa, & alter ſuos conjudices vices ſuas commiſerit, an ille ſolus poſſit procedere appellatione remota, vel ab eo liceat appellare, cum in fine litterarum non ſit appoſitum, ut ſi uterque nequiverit intereſſe, unus procedat. Primæ igitur quæſtioni taliter reſpondemus, quod cauſa, appellatione remota, commiſſa, appellationi deferri non debet, ſive ante citationem, ſive poſt, ſive ante ſententiam, ſive poſtea fuerit appellatum, niſi appellans prius quam citaretur, iter arripuiſſet ad Sedem

dem Apoſtolicam veniendi. Quod autem quæſiviſti, ſi aliquis appellaverit, quia delegatus judex audire ſuper falſi ſuggeſtione probationes recuſat, an appellatio teneat, hoc tuam volumus diſcretionem tenere, quod in eo caſu debet appellationi deferri. Ab uno vero judicum appellatione remota in cauſa procedi non poteſt, niſi hoc ſpecialiter in commiſſionis litteris exprimatur. De cetero noveris, &c. De Eboracenſi Eccleſia jam nonnulla notavi *in cap. inter ceteras, de reſcriptis*, & commentarium hujus textus dedi *in cap. ſignificaſti, de offic. deleg.*

CAPUT VI.

Idem a *Norvvicenſi Epiſcopo*.

CUM aliquibus eſt adjudicata poſſeſſio, non ſufficit eis dari pignora, niſi corporali poſſeſſione lætentur.

NOTÆ.

1 a NOrvvicen.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titulo*, *c.* 8. poſt Concilium autem Lateran. *par.* 36. *c.* 2. legitur, *Idem eidem*, cum *c.* 1. *antecedenti* habeatur, *idem Norvvicenſi Epiſcopo, & Abbati de Eveſam*. Unde recte conjectatur Anton. Auguſtinus *in notis ad* 1. *collect. in præſenti*, textum hunc eſſe partem illius capitis primi, ad ipſamque controverſiam ſuper quadam Eccleſia ſpectare: unde de adjudicatione Eccleſiæ per ſententiam facta, non incongrue accipiendum credo hunc textum.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio probatur. EX hac conciſa Alexandri III. Decretali ſequens vulgo deducitur aſſertio: „ Reo damnato ad traditionem poſſeſſionis, non illi ſufficit tradere pignora pro ipſa poſſeſſione. „ Probant textus *in l. quis reſtituere* 68. *Dig. de R. V. l. promiſſor* 21. *§. fin. Dig. de conſtitut pecun. leg. quod ſi non ſolvere* 10. *l. non eſt mirum, ver. ſciendum, Dig. de pignorat. act. leg. item liberatur, §. qui paratus, Dig. quibus modis pignus ſolvitur, leg. ſtatuliber rationem, ver. Statuliber, Dig. de Statulib. leg.* 4. *§. ait Prætor, Dig. de re jud. leg. poſſideri, in princip. Dig de acquir. poſſeſſ. l. duobus, Dig. de liber. cauſa, l. fin. Cod. de fideicommiſſ. libert. leg. finali, Dig. ne vis fiat ei, l. ſi poſſeſſor, §. penult. Dig. de petit. hered.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Balboa, Barboſa, Garanna, & Fermoſino, Menochius *de recup. remed.* 15. *ex num.* 644. Neguſant. *de pignor.* 5. *part. membr.* 1. *n.* 4. Cujacius in præſenti, Carleval. plures congerens *de judic. lib.* 2. *titul.* 3. *diſput.* 1. *n.* 3. *& diſput.* 3. *n.* 5. & alii infra referendi.

3 Impugnatur aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis redditur ex ſequenti conſideratione; nam certum eſt, reum in judicio damnatum, ut certam quantitatem creditori ſolvat, poſſe ſatisfacere pignoribus, vel fidejuſſoribus datis, *leg. debitoribus* 31. *Dig. hoc tit.* quod & in eo, qui ſolvere tenetur, ut ad honores poſſit promoveri, qui recte ſatisfacit fidejuſſoribus, vel pignoribus datis, docetur *in leg. reſcripto* 6. *verſ. Plane, Dig. de muner. & honor.* Igitur quia reus condemnatus a judice, ut certæ rei poſſeſſionem tradat, plene paret ſententiæ, ſi pignora tradat. Accedit, nam ſolutionis verbo omnis ſatisfactio continetur, *l. ſolutionis* 176. *Dig. de V. S. l. ſatisfactio* 52. *Dig. de ſolut.* ideſt, quæ fit pignoribus, vel fidejuſſoribus datis, *l. ſi rem, §. omnis, Dig. de pignorat.* Igitur condemnatus in judicio recte ſolvit, & judicato paret pignus dando. Accedit tandem, nam ex condemnatione tradendi, vel reſtituendi rem naſcitur obligatio faciendi, *l. ſi rem* 28. *Dig. de V. O. l. datio* 3. *§.* 1. *Dig. de act. empti*. Atqui in obligationibus faciendis reus non cogitur præciſe facere, ſed liberatur præſtando intereſſe, *l. ſi quis ab alio* 13. *§. fin. de re judic. l. cum ſtipulatus* 113. *§. fin. cum l. ſeq. ff. de V. O.* Igitur reus condemnatus poſſeſſionem tradere præſtando pignus pro intereſſe liberatur ab obligatione tradendi poſſeſſionem.

4 Aſſignantur varii intellectus hujus textus. Pro vera expoſitione præſentis textus ſciendum eſt, ad varios caſus a Doctoribus ejus ſententiam referri, cum judicis juſſu poſſeſſio traditur, vel adjudicatur, in quibus non ſufficit pignus dari: & poſt Gloſſam in præſenti, Hoſtienſis, Abbas, & Cujacius accipiunt textum hunc in pignore Prætorio, quale cenſetur illud, quod ex Prætoris diſpoſitione conſtituitur, quando videlicet poſſeſſio, ſeu cuſtodia rei debitoris actori traditur, ut tædio reus affectus compareat, & ſatisfaciat: de quo *in titul. Cod. de Prætor. Pignore, l.* 2. *Cod. qui potiores, l. ultim. Cod. de bonis auctorit. judic. l. cum debitori* 7. *Cod. de judic.* pro quorum ſententia facit, quod tale pignus Prætorium conſtitui non poteſt, nec verificatur, niſi prius poſſeſſio rei corporalis acquiratur, juxta textum *in leg. non eſt mirum* 26. *§. ſciendum, ff. de pignorat. act.* ac proinde nihil mirum, ſi non ſatisfaciat præcepto judicis, niſi mediante poſſeſſionis acquiſitione. Verum hic caſus non convenit litteræ Alexandri; agit enim Pontifex de caſu, quo adjudicabatur poſſeſſio, ut ea victor frueretur, ibi: *Poſſeſſione lætetur*: At in caſu Prætorii pignoris creditor non perficit fructus ipſius rei, imo tenetur reſtituere, aut in ſortem imputare, *l.* 2. *Cod. de pignorat. l. Titia* 48. *Dig. de ſolut.* Molina *de primog. lib.* 4. *c.* 5. *ex n.* 7. Eſcobar *de ratioc. comput.* 14. *per tot.* Parlad. *lib.* 2. *rer. quotid. c. ult. §.* 16. *ex n.* 7. imo, ſi verum amamus, Alexand. III. in præſenti omnem pignoris conſtitutionem excludit eo caſu, quo rei in judicium deductæ poſſeſſio adjudicatur. Refellitur etiam prædicta ſententia ex eiſdem verbis hujus textus, in quibus innuitur agi de re, ſuper qua definitiva ſententia prolata eſt, ibi: *Eſt adjudicata*; quæ tamen definitiva ſententia in pignore Prætorio non datur, cum nulla præcedat ſententia. Alii rectius textum hunc referunt ad caſum, quando res certa in judicium deducta eſt, & condemnatione ſecuta res ipſa capitur, & reus, vel detentor manu militari, ſi opus eſt, ideſt per apparitionem, cogitur rem reſtituere, *l. qui reſtituere* 78. *ff. de R. V.* ut ita victor accipiat, & conſequatur actualem, & corporalem poſſeſſionem rei mobilis, vel immobilis: quo caſu non ſufficere debitori pignus dare, in præſenti docetur: ad quem caſum referunt præſentem textum Menochius *de recup. remed.* 15. *ex n.* 644. Carleval. *de judic. tom.* 2. *tit. diſp.* 1. *num.* 3. & *diſp.* 3. *n.* 5. Barboſa cum aliis in præſenti, *n.* 4. quod genus exequendi ſententiam licet incivile eſſe dixerit Faber *lib.* 6. *conject. c.* 17. & *lib.* 15. *c.* 1. & *lib.* 16. *c.* 14. & 17. & *de error. decad.* 18. *error.* 4. docte tamen ab ejus argutiis illud defendunt Oſualdus *lib.* 20. *Donelli, c.* 6. *litt. G*, Pichardus *in §. ita tamen* 27. *n.* 46. *de action.* Valentia *lib.* 2. *illuſtr. tr.* 2. *c.* 4. Caldeira *lib.* 4. *variar. c.* 1. Larreatigui *lib.* 3. *ſelect. c.* 16. Poteſt etiam textus hic non improprie referri ad eum caſum, in quo captis pignoribus pro executione rei judicatæ, juxta textum *in l. a D. Pio, cum ſuis §§. ff. de re judic.* non invenitur emptor, quo caſu juxta reſcriptum Severi, & Antonini res ipſa in cauſam judicati capta adjudicatur victori pro quantitate ſibi debita, *d. leg. a Divo Pio, §. ſi reum* 3. quod reſcriptum ad praxim exponunt Duarenus *lib.* 1. *diſp. c.* 6. Carleval. *lib.* 2. *tit.* 3. *diſp.* 1. *n.* 13. quo caſu cum res ipſa creditori adjudicatur, non ſufficit ſi jure pignoris tantum illi tradatur. Tandem ut retineamus proprietatem verbi *Adjudicata*, quo utitur Alexander, poteſt ejus deciſio accipi caſu, quo in judicio diviſorio, communi dividundo, ſeu familiæ erciſcundæ res dividitur, & dominis adjudicatur, ut plerumque contingit in his judiciis, *leg.* 2. *§. final. cum duabus ſeqq. Dig. finium regund. l. inter* 44. *§.* 1. *l. familiæ* 55. *Dig. famil. erciſc. l. cum in fundo* 48. *§ fundus, ff. de jure dot. leg. Julianus* 13. *§. item Celſus* 17. *Dig. de act. empti, l. communi* 7. *§.* 2. & *§. ſi debitor* 13. *ff. communi divid. l. ſi officium* 3. *Cod. eod.* Quod adjudicationis genus inter modos legitimos, quibus olim acquirebatur dominium rerum, tam mancipi, quam nec mancipi, refertur ab Ulpiano *in fragmentis, tit. de dominiis, §.* 2. & *§.* 15. explicat Concius *lib.* 1. *diſp. c.* 13. *verſ. Septimus*.

Sed antequam hinc abeamus, examinanda eſt illa ingens apud noſtros controverſia, an in caſu hujus textus, cum res 5 Adjudicationis an quæratur dominium.
mobilis, ſeu immobilis ſententia adjudicatur uni ex litigatoribus, virtute ſententiæ verum dominium transferatur? Et transferri affirmat Accurſius *verbo Dominia, l. ex hoc jure, Dig. de juſtitia & jure*, & *verbo Reſtituta, in l. Pomponius* 13. *§. ſi juſſu, Dig. de acquir. poſſeſſ.* & *verbo Ejus ſit*, & *§. fin. Inſtit. de offic. jud.* pro qua ſententia faciunt textus *in d. §. fin. verſ. Quod autem*, & *in l.* 3. *§. item quæri, verſ. Idemque erit, Dig. de rebus eorum, l. ſtatu liberi* 29. *§. Quintus, Dig de ſtatu lib. & leg. Pomponius* 13. *§. ſi juſſu, Dig. de acquir. poſſeſſ.* ubi ſi per ſententiam judicis adjudicetur res ejus, qui dominus non eſt, uſucapiendi conditio acquiritur: igitur ſi adjudicetur res ejus, qui dominus ſit, transfertur dominium. Facit etiam pro ea ſententia textus *in l. ſi ob cauſam* 13. *Cod. de evict.* ubi factum judicis habetur pro facto ipſius partis: ſed traditione ipſius partis dominium acquiritur, *§. per traditionem, de R. D.* Ergo & ſententia judicis dominium transfertur. Alii negant cum ipſo Accurſio ſibi contrario *in l. inter* 55. *verſ. Dominium, Dig. de R. V.* & *verbo Expertus, in l. exceptio* 28. *Dig de except. rei judic.* Quæ ſententia probatur ex eo, quod cum per ſententiam res mea tibi adjudicatur eo prætextu, quod tua ſit, cum error interveniat, qui dominii translationem impedit, *leg.* 3. *§. ſubtilius, Dig. de condit. cauſ. dat.* dominium transferri non poteſt: ſi autem res tua ſit, alia ratione dominium non transfertur, videlicet quia res noſtra amplius noſtra fieri nequit, *§. ſic itaque, Inſtitut. de action.* ergo nunquam per ſententiam dominium transferri valet. Alii tandem particularia judicia ab univerſalibus ſeparant, & alias diſtinctiones tradunt, quas refert, & proſequitur Jaſo *in rubric. hujus tituli*, & *in l. hoc jure n.* 44. *Dig. de juſt. & jure*, ubi Oroſius *n.* 20. Fachin. *lib.* 1. *controverſ. c.* 62. Verum ut ego certa ab incertis ſeparem, obſervo in hac quæſtione a reliquis actionibus ſeparanda fore judicia familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum; in quibus ſola adjudicatio abſque aliqua traditione dominium transfert, *§. fin. Inſtit. de offic. judicis*, ibi: *Id ſtatim ejus ſit, cui adjudicatum eſt*. Ulpianus *in fragm. titul.* 19. *verbo Adjudicatione*; quilibet enim in his judiciis ante diviſionem, & adjudicationem dominus ipſo jure conſideratur, & adjudicatio ipſa auctoritate legis XII. Tabul. fit, *l.* 1. *Digeſt. famil. erciſc.* quæ horum judiciorum arbitris, & dividendi, & ſuam cuique partem aſſignandi licentiam conceſſit: docent Cujacius *in notis ad Ulpian. titul.* 19. *verbo Adjudicatione*, Hothom. *lib.* 6. *obſerv. c.* 13. Antonius Concius *lib.* 1. *diſp. c.* 13. In reli-